




Lbb. 2











b. Cl. 4008.

 **LAVREN**

TIVS VALLA DE LIBERO  
ARBITRIO.

*APOLOGIA eiusdē aduersus calumniatores, quan  
do super fide sua requisitus fuerat.*

*ITEM, contra Bartoli libellum, cui titulus, de In  
signijs & armis, Epistola.*

*Vbi acutissimi uiri iudicium acerrimū, & raram uae  
riamq; eruditionem probabit lector.*

BASILEAE, AN. M. D. XXVI.



COLLAVEREN

TITVS VALLA DE LIBRO

ARISTOTELIS

APPOLOGIA

IT. EM. TITVS VALLA

APPOLOGIA

BARBARA

S. M.

Valla & plerique alij detrahunt voluntati  
hominum libertatem, itro, quia fiant deum  
sacramente Deo. Haec imaginatio mea  
ex Stoicis disputationibus habita nos ad  
tollendum omnem naturam bonae & ma-  
larum actionum





Lat. 9. A. var. av. 171 (38) 162

# LAURENTI

VS VALLA DE LIBERO AR-  
bitrio ad Garsan Episcopum Illerdensem.



**M**AXIME uellem Garsa Episcoporum doctissime & optime, ac summo opere optarem, ut cum ceteri Christiani homines, tum uero hi qui Theologi uocantur, non ita multum tribuerent philosophiae, nec tantum in ea operam consumerent, & prope parem ac sororem, ne dicam patronam, Theologiae facerent. Male enim sentire mihi uidentur de nostra religione, quam putant philosophiae praesidio indigere: quod minime illi fecerunt, quorum iam multis seculis opera extant, apostolorum imitatores, & uere in templo dei columnae. Ac quidem si probe animaduertamus, quicquid illis temporibus haeresum fuit, quas non parum multas fuisse accepimus, id omne fere ex philosophicorum dogmatum fontibus nascebatur, ut non modo non prodesset philosophia sanctissimae religioni, sed etiam uehementer obesset. At eam isti de quibus loquor, natam esse ad extirpandas haereses iactant, quarum potius seminarium est, nec intelligunt se imperitiae accusare piissimam antiquitatem, quae in expugnandis haeresibus philosophiae arma non habuit, & sepe contra ipsam philosophiam depugnauit acerrime, & tanquam Tarquinium in

Philosophiae nimium tribuit Theologi.

Haeresum fons philosophia.

Ma  
d





exilium eiecit, neq; redire passa est, itane imperiti fuerunt illi & inermes? Et quomodo tantum orbis terrarum in ditionem suam redegerunt? Vos contra tali armatura muniti, ne tueri quidem potestis. proh rem indignam & flebilem, quod ipsi nobis quasi patrimonio

Theologi non insistent uestigijs maiorum. Quid igitur causae est, cur in maiorum uestigijs nolitis insistere? si minus ratio, certe auctoritas illorum effectusq; inducere debuit, ut se imitari potiusquam nouam uiam ingrederemini.

Odiosum puto & execrabilem medicum, qui aegrotum probatis iam usu medicamentis curare non uult, sed nouis, & experimento non cognitis: & nautam qui mauult insuetum iter tenere, quam id per quod caeteri salua nauis ac mercibus nauigarunt. Itaq; eo insolentiae processistis, ut putetis neminem posse theologum euadere, nisi qui praecipua philosophiae tenent, eaq; diligentissime perdidicerit, stultiusq; simul eo facitis quod ante hac uel nescierunt haec, uel nescire uoluerunt. O tempora, o mores. Apud senatum olim Romanum non licebat nec ciui, nec hospiti loqui lingua peregrina, sed tantummodo illius urbis uernacula

Theologi la: at uos quasi Christianae Reip. senatores gentilem gentilem sermonem magis quam ecclesiasticum & audire & sermonem maiorem proferre delectamini. Sed aduersus alios dicendi mul-  
gis q̄ ecclesiasticum prodere uolumus Boetium nulla alia causa, nisi quod nimis philosophiae amator fuit, non eo modo quo debuit disputasse



DE LIBERTATE ARBITRII. 5

disputasse de libero arbitrio, in quinto libro de consolatione. Nam primis quatuor libris respondimus in opere nostro de uero bono, atq; hanc omnem materiam quam diligentissime potero, discutere & resolvere conabor, ut de ea non frustra post omnes ego scriptores uidear differuisse: aliquid enim de nostro ac præter cæteros afferemus. Ad quod faciendum, cum mea sponte animatus essem, tamē currentem, ut aiūt, incitauit disputatio mihi nuper habita cum Antonio Glarea homine perliterato, ac bene acuto, mihiq; cum propter mores, tū quia conterraneus sancti Laurentij est, longe charissimo, cuius disputationis uerba in libellum retuli, exponens illa quasi agatur res, non quasi narretur, ne Inquam & Inquit sæpius interponeretur, quod se fecisse Marcus Tullius, uir immortalis ingenio cur dixerit in lib. quem inscripsit Lælium, equidem non uideo. Nam ubi autor non à se disputata, sed ab alijs recitat, quo nam modo Inquā interponere potest? ueluti est in Lælio Ciceronis, in quo disputatione continetur habita à Lælio cum duobus generis, C. Fannio & Q. Scaeuola, recitataq; ab ipso Scaeuola, Cicerone cum nonnullis familiaribus audiente: & ut illa ætate uix ausuro disputare & colloqui cū Scaeuola, quandam præ se uel ætatis, uel dignitatis religionem ferente. Sed ad propositum. Antonius igitur ad me meridie cum uenisset, nec occupatū sanè offendisset, sed cum domesticis quibusdam sedentē in exedra,

Inquam &  
inquit non  
omisit Cice  
ro.



Questio  
de lib. arb.  
nescitur.

Quæ nesci  
mus, nobis  
non inferat  
molestiam.

quodam quasi proœmio præloquutus ad rem atq; ad  
tempus accommodato, ita deinde subsequutus est. AN.  
Perdifficilis mihi & in primis ardua questio uidetur  
de libero arbitrio, ex quo pendet omnis rerum huma-  
narum actio, omne ius & iniuria, omne præmiũ &  
pœna, neq; id in hac solum uita, uerumetiam in futu-  
ra. qua questione nõ facile dixerim an ulla sit uel ma-  
gis scitu necessaria, uel quæ minus sciatur. Sepe enim  
mecum metipso, sepe cũ alijs de ea re quærere soleo,  
nec ullum adhuc huius ambiguitatis exitum reperire  
queo, usq; ad eò cõturbor aliquando propterea apud  
me atq; confundor, ueruntamen non idcirco unquam  
inquirendo defatigabor, nec desperabo hoc percipi  
posse. Licet multos sciam eadem spe fuisse frustratos.  
Ideoq; tuã quoq; audire in hac questione sententiam  
uelim, nõ modo quod omnia indagando & collustran-  
do fortassis ad id quod quæro perueniam, sed etiam  
quod notum habeo quàm acri iudicio sis & exacto.  
LAV. Est, ut ais, perdifficilis quidem ista questio &  
ardua, & haud scio an ulli cognita. Sed non est causa  
cur conturberis propterea ac confunderis, uel si nun-  
quam istud sciturus sis. Nunquid enim iusta indigna-  
tio est, si id tu non assequaris quod uides assequutum  
esse neminem? Atqui multa sunt apud alios, quæ non  
sunt apud uos, nequaquã tamẽ ægro ferenda animo,  
sed moderato & æquo. alius nobilitate præditus est,  
alius magistratu, alius opibus, alius ingenio, alius elo-  
quentia,



DE LIBERTATE ARBITRII. 7

quentia, alius horum plerisque, alius omnibus. Nemo tamen æquus rerum estimator, ac suæ sibi industriæ conscius: ea re dolendū sibi existimauit, quod ipse ille non haberet, quanto autē minus quod pennis auium careret, quas nemo habet? At enim si propter omnia quæ nescimus, molestiam contraheremus, duram nobis & acerbam uitā redderemus. Vis ne enumerem quanta sint nobis ignota non solum diuina & supernaturalia, quale hoc est: sed humana etiam, & quæ in nostram scientiam cadere possunt? breue dicam, multo sunt plura quæ ignorantur. Vnde Academici, falso illi quidem, sed tamen nihil nobis planè cognitum esse dicebant. AN. Ego uero fateor istuc uerū esse quod dicis, sed nescio quomodo impatiens sum, & auidus, ut impetum animi cohibere nō possim. Nam quod de pennis auium dixisti non esse dolendum, si illas nō habeam, quas nemo habet, audio: sed cur tamē recusare deberem alas, si modo Dædali exemplo assequi possem? Nunc uero quanto præstantiores alas concupisco? quibus non è carcere parietum, sed è carcere errorum euolarem, & in patriam, non hanc quæ corpora genuit, ut ille facit: sed in eam ubi animæ nascuntur transuolē & perueniam. Nam Academicos cum sua persuasione dimittamus, qui cum omnia dubia ponerent, tamē eos dubitare, certe dubiū non erat: & cum nihil sciri affirmarent, tamen inquirendi studium non relinquebant. Nos porrò scimus posteriores ad ea



quæ prius inuenta erant, multa addidisse, quorū e-  
 xemplū et institutio animare nos debet ad alia quoq;  
 inuenienda. Quare noli quæso hanc mihi sollicitudi-  
 nem, molestiamq; eripere: erepta enim molestia, eri-  
 pueris simul & inquirendi diligentiam, nisi forte tu,  
 ut spero & opto, auiditati meæ satisfeceris. L A V.  
 Egone satisfaciam, quod nemo alius potuit? Nā quid  
 dicam de libris? quibus siue acquiescis, non est aliquid  
 præterea requirendum: siue non acquiescis, nihil est  
 quod ego melius queam dicere. quanquam tu uideris  
 quàm sanctum sit, & quàm tolerabile omnibus libris,  
 & quidem probatissimis te bellum indicere, & cum  
 nullo illorum facere. A N. Scio equidē uideri non to-  
 lerabile ac penè sacrilegum libris iam usu probatis  
 non acquiescere, sed te non fugit in plerisq; solere in-  
 ter se illos non conuenire, diuersasq; sententias defen-  
 dere, ac paucissimos esse, quorum autoritas maior est  
 quàm ut eorum dicta ueniant in quæstionem: atq; in  
 cæteris quidem rebus serè non repugno scriptoribus  
 modo hunc, modo illū probabiliora dicere existimās.  
 In hac autem, de qua tecum loqui instituo, pace tua  
 & aliorum dictū sit, nemini prorsus assentior. Nam  
 quid de alijs dicam? cum Boëtius ipse, cui in explican-  
 da hac quæstione datur ab omnibus palma, quod susce-  
 perit, implere non possit: sed ad quasdam res confugi-  
 at imaginarias & commenticias. Ait enim deum per  
 intelligentiam, quæ supra rationē est, & per aterni-  
 tatem



DE LIBERTATE ARBITRII. 9

tatem omnia scire, omniaq; habere presentia: at ego ad agnitionem intelligentiae & eternitatis, qui rationalis sum, & nihil extra tempus agnosco, aspirare qui possim? Neq; Boëtiū quidē ipsum suspicor intellexisse, si modo uera sunt quae dixit, quod non credo. Non enim uerum dicere censendus est, cuius orationē nec ipse, nec alius intelligat. Itaq; cum recte hanc disputationē introduxisset, non tamen recte eam exequutus est, in quo si mecum sentis, gratulabor sententiae meae: sin minus, pro tua humanitate non grauaberis, quod ille obscure loquutus est, id re lucidius eloqui: utrocunq; aut modo, aperies mihi sententiā tuam. L A V. Vide quā aequa postules, qui iubes me uel damnando, uel emendando Boëtio cōtumeliam facere. A N. Nunquid tu uocas contumeliam, ueram de altero sententiam ferre, uel eiusdē obscurius dicta apertius interpretari? L A V. Atqui odiosum est hoc in magnos uiros facere. A N. Odiosius certe nō monstrare uiam erranti, & ei ut monstres oranti. L A V. Quid si uiam ignoro? A N. Istud est nolentis monstrare uiam, dicere, uiam ignoro. quare noli recusare iudicium tuum aperire. L A V. Quid si dicā me tecū sentire de Boëtio, tecumq; illum non intelligere, nec aliquid praeterea habere quo hanc quaestionem explicem? A N. Si hoc uere dicis, nō ita uecors sum, ut abs te plus petam quā prestare potes: sed caue ne parum sis functus officio amici, si erga me fastidiosum te & mendacem



præbeas. L A V. Quid istuc est quod tibi explicari postulas? A N. Nunquid præscientia dei obstet libertati arbitrij, & an de hac questione recte Boëtius disputauerit. L A V. De Boëtio postea uidero, quod si ego tibi in hac satisfecero, uolo sponsonem facias. A N. Quam tandem sponsonem? L A V. Ut si te laute accepero in hoc prandio, ne iterum accipi uelis in coena. A N. Quod mihi prandiū, aut quā cenā prædicas? nō enim intelligo. L A V. Ut sis cōtentus hac una questione discussa, nec alteram postea adijcias. A N. Alteram inquis? quasi uero nō satis superq; satis hæc una sit, quare libenter sponsonem tibi facio, nullam abs te cenam esse petiturū. L A V. Age igitur ipsam profer in medium questionem. A N. Probe admones, si prædestinata deus futura prouidit, aliter non potest euenire quam tione, quod ille prouiderit. Veluti si Iudā præuaricaturū uidit, necessitatē impossibile est hunc nō præuaricari: id est, necesse est uideatur Iudam præuaricari, nisi (quod absit) deū carere prouidentia uolumus. Hoc cum ita sit, nimirū censendum imponere uoluntati. est genus humanum non habere in sua potestate arbitrij libertatem. nec de malis tantū loquor: nam ut his necesse est malefacere, ita bonis è cōtrario bene, si boni tamen maliue dicendi sunt, qui arbitrio carent: uel eorum actiones existimandæ rectæ aut secus, quæ necessariæ sunt & coactæ. atq; hic quid iam consequens sit, tu te uides: nam deum uel hūc iustitiæ laudare, uel illum iniustitiæ accusare: & alterū præmio afficere, alterum



alterum poena, ut licentius dixerim, iustitiæ uidetur esse contrariū, cum actiones hominū sequantur necessario præscientiam dei. Relinquamus igitur religionem, pietatē, sanctitatē, cæremonias, sacrificia, nihil ab illo expectemus, nullas preces adhibeamus, misericordiam eius omnino nō prouocemus, mentem reformare in melius negligamus. Nihil deniq; nisi quod libuerit, agamus. Si quidem præstita est à deo, nostra uel iustitia uel iniustitia. Itaq; aut non prouidere uidetur futura, si præditi sumus arbitrio: aut non æquus est, si caremus. Habes quid me in hac re addubitare faciat. L A V. Tu uero non modo quæstionē in mediū protulisti, sed eam latius quoq; exequutus es. Ais deū prouidisse Iudā præuaricatorē fore: nunquid ideo & ad præuaricandum induxit? nō uideo: quod enim deus præsciscit aliquid ab homine faciendum, ut id facias nulla necessitas est, quia uolūtate id facis: quod aut uoluntarium, hoc nequit esse necessarium. A N. Noli expectare ut tibi tam facile dem manus, aut terga uer tam sine sudore & sanguine. L A V. Maacte uirtute esto, cōgredere propius, & cōminus collato pede, nō telo decerne, sed gladio. A N. Dicis Iudam uolūtario fecisse, ideoq; non necessario. Quod uoluntario fecerit abnuere, id uero impudentissimum esset: quid igitur dico? nemp e uoluntatem hanc necessariam extitisse, cum deus eam præscierit: quod autē erat ab eo præscitū, id necesse fuit Iudā uelle & agere, ne præ-



scientiam alioqui mendacem faceret. LAV. Adhuc  
 Cognitio non uideo cur tibi ex præsciētia dei, uolūtātibus atq;  
 non impo- actionibus nostris necessitas defluere uideatur. Si  
 nit necessi- enim præscire aliqd fore, facit ut illud futurū sit: pro-  
 tatem. fectō & scire aliqd esse, facit ut idem sit. Atqui si noui  
 ingeniū tuū, non diceres ideo aliqd esse, qd' scias illud  
 esse. Veluti scis nūc diē esse, nūquid quia hoc scis, ideo  
 & dies est? an cōtrā, qd' dies est, ideo scis diē esse? AN.  
 Perge uero. LAV. Eadē ratio est de præterito. noui  
 iam octo horis noctem fuisse, sed mea cognitio non fa-  
 cit illud fuisse: potiusq; ego noui noctē fuisse, quia nox  
 fuit. Atq; ut propius ueniā, præsciū sum post octo ho-  
 ras noctem fore, ideo ne & erit? minime, sed quia erit,  
 ideo præscisco: quod si præscientia hominis non est  
 causa ut aliquid futurū sit, utiq; nec præscientia dei.  
 AN. Decipit nos (mihi crede) ista comparatio: aliud  
 est scire præscientia hac præterita, aliud futura. Nam  
 cum aliquid scio esse, id uariabile esse non potest: ut  
 dies qui nūc est, nequit fieri ut nō sit. Præteritū quoq;  
 nihil differens habet à præsentī: id nanq; non tū cum  
 factū est cognouimus, sed cū fieret, & præsens erat. ut  
 noctē fuisse non nunc dum transijt didici, sed cū erat.  
 Itaq; in his tēporibus concedo non ideo aliquid fuisse  
 aut esse, quia hoc ita esse scio, sed ideo me nescire, quia  
 hoc est, aut fuit. Sed alia ratio est de futuro, quod uar-  
 iabile est, nec pro certo sciri potest, quod incertū est.  
 Ideoq; ne deum fraudemus præscientia, fateamur cer-  
 tum



tum esse quod futurum est, & ob id necessarium, hoc est quod nos libertate arbitrij priuet. Neque est quod dicas id quod modo significabas, non ideo quod deus prouiderit futura, ita fore: sed quia ita futurū est deū prouidisse, & hoc uulnus infligas deo, ut necesse ei sit futura præscire. LAV. Armatus pulchre ad pugnam, munitusq; uenisti: sed animaduertamus uter decipiatur, ego an tu. Prius tamen de hoc posteriore breuiter satisfaciam, ubi ais, si deus futura prospicit, quia futura sunt, necessitate illū laborare, cui necesse est euentura prospicere. Hoc uero non est tribuendū necessitati, sed naturæ, sed uoluntati, sed potentia: nisi forte deū non posse peccare, non posse mori, nō posse relinquere sapientiam suam, infirmitatis est, & non potius potentia ac diuinitatis: sic nō posse futura non prospicere, quæ species sapientia est, cum dicimus, nō uulnus illi infligimus, sed honorem tribuimus. Itaq; non uerebor dicere, quæ euentura sunt, deum nō posse non prouidere. Venio nūc ad illud quod primo responderas, præsentia ac præterita uariabilia nō esse, ideoq; sciri futura uariabilia, ideoq; præsciri nō posse. Quæro igitur num mutari possit, cū ad octo usq; horas nox aduenerit, quū post æstatem sit autumnus, post autumnū hyems, post hyemē uer, post uer æstas?

AN. Naturalia sunt ista, & eundem cursum semper currentia: ego autem loquor de uoluntarijs. LAV. Quid ais de fortuitis? possunt'ne adeo prouideri, præ-

Non neces-  
sitate præ-  
scit futura  
deus, sed na-  
tura.



Futura non  
ait deus.

terq̄ quod illis necessitatem afferat? ut forte hodie plu-  
at, aut thesaurū inueniam, concedisne hæc sine ulla ne-  
cessitate posse præsciri? A N. Quid ni concedam? pu-  
tāsne ita me male sentire de deo? L A V. Vide ne male  
sentias, cū dicas bene sentire. Nam si hoc cōcedis, cur  
dubitas de uolūtarijs? utraq; enim in utrālibet par-  
tem cadere possunt. A N. Nō ita res est: illa nanq; for-  
tuita suā quandā naturā sequūtur, ideoq; & medici,  
& nautæ, & agricolæ solent multa prouidere, cū ex  
antecedentibus colligāt sequentia, quod in uolūtarijs  
fieri nō potest: uaticinare tu utrū ego pedē priorē mo-  
ueam, utrumlibet dixeris mentiturus, cū alterū motu-  
rus sim. L A V. Quis quæso unquā tā argutus inuen-  
tus est, ut hic Glarea? qui se deo putet posse impone-  
re. Non enim mihi dixisti uaticinare, sed deo. Ego qui-  
dem nec si bona uindemia erit, id quod tu agricolis  
tribuis, uaticinari possum. Sed deum nescire utrū pe-  
dem moturus sis priorem, dicens atq; ita sentiens, ma-  
gno te piaculo obstringis. A N. An existimas me ali-  
quid affirmare, ac non disputādi gratia quærere? Cæ-  
terū tu uideris tergiuersari ista oratione, & quasi de  
gradu deiectū pugnam detractare. L A V. Quasi ego  
uictoriæ causa pugnem potiusquam ueritatis, ac uide  
quā sim de gradu deiectus, dāsne nosse deū nunc uo-  
luntatem tuam, uel melius quā tu te ipse? A N. Do-  
uero. L A V. Des illud quoq; necesse te nō aliud actū-  
rum esse q̄ quod uoluntas feret. A N. Ita sanè. L A V.  
Quomodo



Quomodo ergo ignorare ille potest actionē, si nouit uoluntatem, qui est fons actionis? AN. Nihil minus: nam neq; ipse scio quid facturus sim, licet quid uoluntatis habeam sciam. Non enim uolo hunc uel hunc pedem utiq; mouere, sed alterum q̄ quem ille enunciauerit. Itaq; si me cōparas deo, ut ego quid acturus sim nescio, ita ipse nesciet. LAV. Ecquid negocij est isti tue captioni occurrere? Nouit te ille paratū respōdere aliter quā ipse enunciaturus est, & moturū sinistrū priorē, si ab eo nominatus sit dexter, utrūcunq; ergo dicet, compertū sibi est quid euenturū sit. AN. Vtrum autē dicturus est? LAV. De deo loqueris? fac me noscere tuā uoluntatē, & pronuntiabo quid euenturum sit. AN. Age scias meā uoluntatē. LAV. Mouebis priorem dextrum. AN. En tibi sinistrū. LAV. Nunquid igitur præscientiam meam falsam esse docuisti, qui te moturū esse sinistrū sciebam? AN. Cur ergo aliud dixisti quā sentires? LAV. Vt te tuis artibus fallerem, & decipere uolentem deciperē. AN. At deus ipse in respondēdo nō mentiretur, nec falleret: neq; tu recte facis respondens pro altero, quod ille non responderet. LAV. Nōne dixisti mihi uaticinare? nō igitur debui respondere pro deo, sed pro me, quē rogaras. AN. Vt uersipellis es, paulò ante dicebas me deo dixisse, uaticinare, non tibi, nūc contrā loqueris. Respondeat deus, utrū pedē moturus sim priorem. LAV. Ridiculū, quasi tibi ille sit responsurus. AN.

Captiosam  
rationē elu-  
dit.

An deus sci-  
at utrū pe-  
dem motu-  
rus sim pri-  
orem.





Quid si uellet, possētne uerē respondere? LAV. Imō  
 posset mentiri, qui ueritas est. AN. Quid respōderet  
 igitur? LAV. Certe quod acturus esses, sed te tamē nō  
 audiente, diceret mihi, diceret uni istorū, diceret plu-  
 ribus: quod cum fecisset, putāsne uera prædicturum?  
 AN. Imō uero prædicturum uera, sed quid putas si  
 mihi prædiceret? LAV. Mihi crede, tu qui sic aucu-  
 paris deū fallere, si audires, aut certe scires, qd te actu-  
 rum diceret, uel charitate, uel terrore instinctus, festi-  
 nares agere quod ab eo scires esse prædictū. Sed hæc  
 omittamus, quæ uihil ad præscientiam pertinent. Ali-  
 ud est enim præscire, aliud prædicere futura. loquere  
 si quid habes de præsciētia, relicta prædictione. AN.  
 Ita fiat, nam ea quæ à me dicta sunt, non tam pro me,  
 quàm contrate respondebantur. Redeo igitur unde  
 digressi sumus, ubi dicebā Iudæ necesse fuisse ut præua-  
 ricaretur, quia deus ita fore prouiderat, nisi tollamus  
 omnino prouidentiam. Siquidem, si possibile erat ali-  
 ter euenire quàm sit prouisum, sublata est prouiden-  
 tia: si impossibile, sublatum est liberū arbitrium, res  
 non minus indigna deo, quàm si eius tolleremus proui-  
 dentiam. Ego enim, quod ad me attinet, malle illum  
 minus sapientē esse quàm minus bonū. Hoc noceret  
 generi humano, alterū nō noceret. LAV. Laudo mo-  
 destiam tuā ac probitatē, quia in eo quod uincere non  
 potes, nō pertinaciter pugnas: sed cedis, & ad aliam  
 defensionem te conferes, quæ mihi uidetur ratio eius  
 quod



DE LIBERTATE ARBITRII. 17

quod dudum proposueras. Quare ut tibi respondeam, Præscitum  
 nego si possibile est aliter euenire quàm præscitum est, aliter po-  
 consequens esse præscientiã falli posse. Nam quid ob- test eueni-  
 stat, hæc simul uera esse? num quia potest aliter eueni- re, sed præ-  
 re, cõtinuò eueniet? Longe diuersum est aliquid pos- scientia nõ  
 se fieri, & aliquid futurum esse. Possum esse maritus, fallitur.  
 possum esse miles aut sacerdos, nunquid protinus &  
 ero? minime. Ita possum aliter agere quàm euenturum  
 sit, tamen non aliter agam: & in manu Iudæ erat non  
 peccare, licet foret prouisum, sed peccare maluit, quod  
 iam sic fore præscitum erat. Quare rata est præscien-  
 tia, remanente arbitrij libertate, hæc ex duobus alte-  
 rum electura est: nã utrunq; agere non licet, & utrius  
 electura sit, lumine suo illa prænoscit. AN. Hic te  
 teneo. An ignoras præceptum esse philosophorum  
 quicquid possibile est, id tanquam esse debere cõcedi?  
 Possibile est aliter euenire, quàm præscitum est, con-  
 cedatur ita esse euenturum: per quod falli iam præsci-  
 entiam manifestum est, cum aliter eueniat, quàm illa cre-  
 diderat. LAV. Philosophorum mecum formulis agis?  
 quasi eis contradicere nõ audeam. Istud profecto quod  
 ais præceptum, cuiuscunq; sit, quàm absurdissimum pu-  
 to, possum enim dextrum pedem priorẽ mouere, con-  
 cedamus ita fore: possum item mouere priorem sini-  
 strum, hoc quoq; concedamus futurum: mouebo igitur  
 & dextrum priorem sinistro, & dextro sinistram, &  
 per tuam possibilitium concessionem deueniam ad im-

Dilectio  
 totum et co  
 prof.





possibile, ut intelligas non esse concedendū, quicquid  
 possibile est euenire, id utiq; euenturum. Quod cū ita  
 sit, possibile est te aliter agere q̄ deus præsciuit, uerum  
 tamen non aliter ages, ergo nec falles. AN. Non re-  
 pugnabo amplius, nec cum tela mea omnia fregerim,  
 unguibus pugnabo, ut aiunt, & dentibus: sed si quid  
 est quo uberius mihi hoc explices, ac planè persuadeo  
 as, audire habeo. LAV. Concupisti alteram probita-  
 tis ac modestiæ laudem, cū es tui similis. Itaq; faciam  
 quod petis, quod mea sponte facturum. Quæ adhuc  
 enim dicta sunt, non erant quæ me dicturum constitue-  
 ram, sed quæ ipsa defensionis ratio postulabat. Nunc  
 accipe quid mihi persuadeat, & fortasse etiam tibi  
 persuadebit, præscientiam non esse impedimento ar-  
 bitrij libertati. Sed utrum mauis pauculis me uerbis  
 perstringere, an complusculis lucidius exequi? AN.  
 Mihi uero, qui lucide loquuntur, nunquam non uidentur  
 breuissime loqui: qui autem obscure, licet paucissi-  
 ma dicant, plus quàm longissimi fuerunt. Habet præ-  
 terea ipsa orationis copia appositū quiddā, & aptū  
 ad persuasionem. Quare cū à principio petierim, ut  
 hanc materiam liberet tibi lucidius eloqui, non est q̄  
 dubites de mea uoluntate, tamen utrum tibi commo-  
 dius uidetur, id agas. Nunquam enim iudiciū meum  
 anteferam tuo. LAV. Mea quidem interest morem  
 tibi gerere, sed quod tu cōmodius existimas, idē ego.  
 Apollo igitur ille apud Græcos tantopere celebra-  
 tus,

Dilucide  
 loqui, et co-  
 piose.



DE LIBERTATE ARBITRII. 19

tus, siue suapte uatura, siue cæterorū decorum concessu, futura omnia prouisa & cognita habebat: nō modo quæ ad homines, uerum quæ ad deos quoq; pertinerent, reddens de his oracula consulentibus, uera & indubitata, si credimus: sed hoc tēpore uera fuisse concedamus: nihil enim obstat, hunc Sextus Tarquinius consuluit quid sibi foret euenturum. Fingamus eū respondere, & quidem uersu, ut solet, sic: Exul inopsq; cades, irata cæsus ab urbe. Ad hæc Sextus: Quid ais Apollo? quid ego sic de te merui, ut fatū mihi tam crudele denuncies? ut ita tristem conditionem mortis assignes? reuoca, obsecro, responsum tuū, lætiora uaticinari, melior in me sis, qui ad te regale detuli munus. E contra Apollo, Munera tua iuuenis grata sunt mihi sanè & accepta, pro quibus oraculū uicissim reddidi, miserum illud quidē & triste, uellem lætius: sed in mea manu non est hoc facere. Ego nosco fata, nō statuo: ego denunciare fortunā possum, nō mutare: ego sortiū iudex sum, non arbiter: meliora denunciarem, si meliora te manerēt. nulla huius rei penes me culpa est: quippe qui ne meis quidem aduersis, quæ futura prospicis, obsistere queo. Incusa, si libet, Iouē, incusa Parcas, incusa fortunam, unde euentorū causa descendit. Apud illos & fatorum potestas sita est, & uoluntas, apud me nuda præscientia & prædictio. Tu post oraculum, ego dedi: ueritatem exquisisti, mendacium dicere non potui: ad templum meū è longinqua



regione uenisti, sine responso dimittere non debui.  
 Hæc duo procul à me absint, mendaciū & silentium.  
 Nunquid ad hanc orationē Sextus posset iure respon-  
 dere? Imò uero penes te culpa est Apollo, qui fatum  
 meum sapientia tua prouides: nisi enim tu prouidis-  
 ses, hæc mihi euentura non essent. AN. Non modo  
 iniuste, sed nequaquam sic responderet. LAV. Quo-  
 modo igitur? AN. Ipse dicas. LAV. Nónne hoc mo-  
 do? Ego quidem tibi sancte Apollo gratias ago, qui  
 me neq; mendacio decepisti, neq; silentio aspernatus  
 es. Sed hoc item quæso responde, cur tam inimicus in  
 me, tam crudelis est Iupiter, ut si tristia mihi fata asse-  
 gnet immerenti, innoxio deorum cultori? AN. Pro-  
 fecto hoc modo ego, si forem Sextus, Apollini respon-  
 derem, quid autem ipse contra Apollo? LAV. Imme-  
 rentem te atq; innoxium uocas Sexte? ne erres, sceler-  
 nobis, non ra quæ admissurus es in culpa sunt, adulteria, prodi-  
 prouidētia tiones, periuria, & uelut hereditarium tibi superbia:  
 an hic Sextus dicat, Tibi potius scelerum meorū ad-  
 scribenda est culpa. necesse est enim me peccare, quem  
 tu peccaturum esse præscisti. AN. Insanus sit si ita re-  
 spondeat Sextus, non solū iniustus. LAV. Nunquid  
 tu aliquid habes, quod p illo loquereris? AN. Nihil  
 prorsus. LAV. Si nihil ergo habet Sextus quod de  
 præsciētia Apollinis causetur, profecto nec Iudas ha-  
 bet quod incuset præscientiam dei. Quod cum ita sit,  
 nimirum tuæ quæstioni satisfactū est, qua turbari con-  
 fundiq;



fundiq; dicebas. AN. Satisfactum uero, & quod uix  
 sperare audebam, planè persolutum. quo nomine &  
 ago tibi, & habeo gratias, propè dixerim immorta-  
 les. Nam quod Boëtius mihi præstare non potuit, tu  
 præstitisti. LAV. Et nunc id operã do, ut de illo ali-  
 quid dicam, quod & te expectare scio, & me pollicio-  
 tus sum facturum. AN. An est quod de Boëtio dicas?  
 gratū mihi erit, iucundumq;. LAV. Seruemus teno-  
 rem fabulæ institutæ. Tu nihil existimas Sextum ha-  
 bere quod respondeat Apollini: interrogo te quid di-  
 ceres aduersus regem, abnuentem se deferre ad te mu-  
 nus aut magistratū, quod diceret capitalia te in eo mu-  
 nere flagitia admissurū. AN. Iuro tibi rex per istam  
 tuam fortissimam & fidelissimam dextram me non  
 commissurū in hoc magistratu flagitia. LAV. Idem  
 puto dicturum Sextum Apollini: Iuro tibi Apollo,  
 me non admissurū esse quæ dicis. AN. Quid rursus  
 Apollinem? LAV. Certe non eo modo quo rex: nec  
 enim compertum habet rex quid futurum sit, ut deus.  
 Dicat ergo Apollo, Mendax ne ego sum Sexte? nec  
 quid futurū sit, compertum habeo, admonendi te gra-  
 tia loquutus sum, an oraculum reddidi? Tibi iterum  
 dico, adulter eris, proditor eris, periurus eris, super-  
 bus ac malus eris. AN. Digna Apolline oratio, quid  
 poterit aduersus hæc Sextus hiscere? LAV. An non  
 uenit in mentem quid hic afferre possit in suam defen-  
 sionem? Nū se condēnari ita molli animo feret? AN.



Quid nisi sceleratus est? LAV. Non est sceleratus,  
 sed praedicetur futurus. Tu uero si Apollo denuncia-  
 ret, credo ad preces cōfugeres, oraresq; nō Apollinē,  
 sed Iouem, ut tibi meliorē mentē daret, fataq; immuta-  
 ret. AN. Ita agerē, sed Apollinem mendacē facerem.  
 LAV. Recte loqueris, quod si hunc Sextus mendacē  
 facere non potest, superuacuo preces adhibebit, quid  
 aget? non indignabitur? non irascetur? non in quere-  
 las erumpet? Itāne Apollo à sceleribus temperare nō  
 possum, uirtutem amplecti nequeo, reformare mentē  
 à malignitate nō ualeo, libertate arbitrij nō sum prae-  
 ditus? AN. Fortiter Sextus, & uere & iuste, quid  
 iterum deus? LAV. Sic se res habet Sexte. Iupiter ut  
 lupū rapacem creauit, leporē timidum, leonē animo-  
 sum, onagrū stolidum, canem rabidum, ouem mitem:  
 ita hominum alij finxit dura praecordia, alij mollia,  
 alium ad scelera, alium ad uirtutes propensio-  
 rem genuit. Praeterea alteri corrigibile ingenium dedit, tibi  
 uero malignam animā, nec aliena ope emendabilem  
 tribuit. Itaque & tu pro qualitate ingenij male ages,  
 & Iupiter pro actionum tuarū atq; operū modo ma-  
 le mulctabit, & ita per Stygiā paludē iurauit. AN.  
 Semetipsum belle Apollo excusat, Iouē uero uel ma-  
 gis accusat: nam ego aequior sum Sexto quā Ioui.  
 Expostularet itaq; optimo iure sic, & cur meū crimē  
 est potius quā Iouis? quandoquidē nisi praeue agere  
 non licet, cur me Iupiter suo crimine condemnat? cur



DE LIBERTATE ARBITRII. 45

me sine culpa ulciscitur? quicquid facio, non libero arbitrio facio, sed necessitate: uoluntati potentiaeq; suae obistere qui possim? L A V. Hoc est quod pro mea probatione asserere uolui, nam haec est uis huius fabulae, ut cum sapientia dei separari non possit à uoluntate illius ac potetia, hac similitudine separare Apollinis & Iouis: & quod in uno deo obtineri non ualebat, id obtineretur in duobus: utroq; suam certam naturam habente, altero quidem creandi ingenia hominum, altero autem sapiendi: ut appareat prouidentiam non esse causam necessitatis. sed hoc quicquid est, totum ad uoluntatem dei esse referendum. A N. En iterum in eundem me precipitas puteum unde erueras: similis dubitatio haec est illi, quae de Iuda à me prolata est, ubi necessitas adscribebatur praescientiae dei, hic uoluntati. aut quid interest quo modo arbitrium tollas? à praescientia tolli istud tu quidem negas, sed ais à uoluntate, ex quo quaestio in idem recidet. L A V. Ego ne aio tolli arbitrium ex uoluntate dei. A N. An non consequens est? nisi soluas ambiguitatem. L A V. Queras qui tibi eam soluat. A N. Equidem te non dimittam nisi solueris. L A V. At istud est non stare conuentis, nec prandio esse contentum, sed coenam etiam postulare. A N. Sic me circumscripsisti? & per dolum sponsonem facere adegisti? Non stant promissa, in quibus circumscriptio interuenit, nec abs te prandio me esse acceptum existimo, siquidem quicquid epulatus sum.

Totum res  
ferendum ad  
uoluntatem  
dei.

Prandio non  
esse conten-  
tum, sed coe-  
nam repo-  
scere.



cogis euomere, aut, ut leuius loquar, non minus esurientem dimittis quàm acceperis. LAV. Mihi crede, non ideo te sponſionem facere uolui, ut circumſcriberem: nam quæ mihi futura utilitas erat, cū liceret ne prandium quidē dare? In quo cum laute acceptus, & cuius nomine mihi gratias egisti, ingratus es, si dicas per me coactum te esse illud euomere: aut esurientem dimissum qualis uenisses, cœnam est istud petere, non prandiū, uelle accusare, & petere tibi apponi ambrosiam ac nectar, deorū cibos, non hominū. Ego tibi pisces atq; aues de uiuarijs meis, & uinū de suburbano colle apposui, ambrosiam uero & nectar ab ipsis petas Apolline & Ioue. AN. Quam ambrosiam, aut quod nectar nominas pœticas res & ficticias. Relinquamus hæc inania dijs inanibus & ficticijs Ioui & Apollini, ex quibus uinarijs cellis prompsisti prandium, ex eisdē cœnam peto. LAV. An ita me agrestem putas, ut amicum ad cœnā uenientem meā abigerem? Sed cum uiderē quò nam hæc quæstio foret euasura, iam tum mihi consulebā, sponſionemq; facere cœgi, ne postea à me aliquid præter id unum quod querebatur, exigeres. Quare tecū non tam iure ago, quàm æquitate. Penes alios fortassis hanc cœnam nancisceris, quæ penes me (si amicitie credendū putas) omnino non est. AN. Non ero tibi molestus amplius, ne beneficium ingratus, & amanti incredulus uidear, uerum tamen à quo suades me exquirere. LAV. Si istud possent



DE LIBERTATE ARBITRII. 25

possem, non mitterem te ad coenam, sed unà coenaturus uenirem. AN. Penes nullum putas hos, ut ais, diuinos cibos esse? LAV. Quid ni ita putem? an non legisti uerba Pauli de duobus filijs Rebeckæ ex Isaac, dicentis? Cū enim non dum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, ut secundum electionem propositum dei maneret nō ex operibus, sed ex uocante, dictum est, quod maior seruiat minori, sicut scriptū est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Quid ergo dicemus? nunquid iniquitas apud deū? absit. Moysi enim dicit, Miserebor cui misereor, & misericordiā prestabo cuius miserebor. Ergo nō uolentis, neq; currentis, sed miserentis dei est. Dicit enim scriptura Pharaoni: Quia in hoc ipsum excitauit te, ut ostendam in te uirtutem meam, & annuncietur nomen meū in uniuersa terra. Ergo cuius uult miseretur, & quem uult indurat. Dicis itaque mihi, quid adhuc queritur? uoluntati eius qui resistet? O homo tu quis es, qui respondeas deo? Nunquid dicit figmentū ei qui se finxit, quid me fecisti sic? an non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere quidem aliud uas in honorem, aliud uero in contumeliam? Et paulò post quasi nimio splendore sapientiæ dei, oculos præstringente proclamat: O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ dei, quàm incōprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles uia eius. Quod si ille uas electionis, et inter tū usq; cœlū raptus, audiuit arcana uerba, quæ non

Quare alio  
q̄ à deo ha-  
beant bonā  
mentem.



licet homini loqui, hæc tamen non modo loqui, sed  
 ne percipere quidē potest: quis tandē speret se inuesti-  
 gare & assequi posse? Atq; illud mihi diligēter aduer-  
 te, nō eodē modo dici liberū arbitriū impediri uolun-  
 tate dei, ut præscientia: nam uolūtas habet anteceden-  
 tem causam, quæ sita est apud sapientiā dei. Siquidē  
 cur ille hūc induret, illius miseratur, ut est sapientissi-  
 mus & optimus, dignissima causa adducitur, atq; ali-  
 ter sentire impiū est, illū absolute bonū agere, nō be-  
 ne: in præscientia aut nō est antecedēs, nec ulla omni-  
 no iustitiæ & bonitatis causa: non enim sic dicimus,  
 quare hoc præsciscit? sicut quare hoc uult? Nos porro  
 hoc solū quærimus quo nam modo deus bonus est, au-  
 ferens arbitrij libertatē, auferret aut, si nō esset possi-  
 bile aliter euenire q̄ præscitū est. Nunc uero nullam  
 necessitatem affert, nec priuat nos libertate arbitrij,  
 hunc indurās, illius miserans, cū sapientissime ac san-  
 ctissime hoc agat, cuius causæ rationē in quodā arca-  
 no quasi arario absconditā collocauit. Neq; dissimula-  
 uerim quosdam ausos hanc rationem inquirere, dicen-  
 tes, qui obdurantur ac reprobantur, eos secū dum ius-  
 titiam obdurari ac reprobari: esse enim nos ex massa  
 illa ob culpam primi parentis inquinata, & in lucem  
 conuersa. Nam ut multa transeam, & uno argumen-  
 to respondeam, cur Adam ipse factus ex materia non  
 coinquinata, & ad peccandum obduratus est, & uni-  
 uersam massam suæ luteā sobolis fecit? Cui simile est  
 illud

Causa in-  
 quiri nō po-  
 test, cur de-  
 us aliquos  
 induret.



DE LIBERTATE ARBITRII. 17

Illud factum angelorū; quorum quidā obdurati sunt, quidam misericordiam consequuti: cum omnes ex eadem substantia essent, ex eadem massa, ex non polluta, quos adhuc in natura substantiæ & qualitate masse, ut sic dicam, aureæ permanere audacter dixerim, neq; hos per electionem in meliorem materiam conuersos, neq; per reprobationem illos in deteriorem, & alteri quasi uasa in ministerium mensæ diuinæ electi honoris gratiam acceperunt: alteri uero existimari possunt uasa, quæ ab oculis relegata, quod contumeliosius est, quàm si lutea forent, omnem obscenitatem colluuiemq; suscipiunt: ideoq; flebilior illorum damnatio est quàm hominum. Plus enim contumeliæ aurū accipit, ex quo facti sunt angeli, quàm argentū, ex quo facti sunt homines, si fœditate impleantur. Quare in Adam non est materia argentea immutata, aut si mauis dicere, lutea: sed eadem remansit, quæ antea erat. Itaque qualis in illo fuit, talis in nobis est. An non ait Paulus, ex eadem massa lutea fieri aliud quidem uas in honorem, aliud autem in contumeliā? neque dicendum est uas honorificum ex inquinata materia esse factum. Sumus igitur uasa, argētea malo dicere quàm lutea, fuimusq; diu uasa contumeliæ, damnationis inquā & mortis, non obdurationis. Infuderat enim in nos deus propter præuaricationē primi parentis, in quo omnes peccauius, pœnam mortis, non culpam, quæ uenit ex obduratione. Ait idem

Angelorū  
pœna ma-  
ior q̄ homi-  
num.

Originale  
peccatū.



Paulus ab Adam usque ad Moysen regnavit mors, etiam in eos qui non peccaverunt, in similitudinem praeviationis Adae. Quod si propter peccatum Adae obdurati essemus, certe per gratiam Christi liberati, non amplius obduraremur: quod ita non fit. Plurimi enim ex nobis obdurantur, quare omnes qui in morte Christi baptisati sunt, ab illo peccato originali, et ab alia morte liberati sunt: sed eorum aliqui misericordiam consequuntur, non sufficiente baptismo: aliqui non secus obdurantur quam Adam et angeli obdurati sunt. Respondeat igitur qui velit, cur hunc obdurat, illius miseretur, et eum angelum potius quam hominem confitebor, si modo angelis haec nota sunt, quod non credo, cum Paulo (vide quantum illi retribuam) nota non sint. Quapropter si angeli, qui semper faciem dei vident, haec nesciunt, quae tandem nostra temeritas est omnino ea scire uelle? Sed antequam peroremus, de Boetio aliquid dicamus. AN. Opportune de ipso fecisti mentionem, quippe de illo mecum animo agebam, qui se speravit hoc scire, et alios edocere posse, non eadem uia qua Paulus, sed eodem tamen tendens. LAV. Non modo plusquam debuit, sibi confisus, et maiora suis uiribus aggressus est, sed nec eodem tendit, nec uiam iuerat, quam confecit. AN. Cur ita? LAV. Audies, hoc enim est quod ego dicebo: Boetius dicere uolebam: nam primum Paulus ait: Non est uolentis, cit esse cur neque curretis hominis, sed miseretis dei. Boetius uero rentis. mihi tota disputatione colligit, non quidem uerbis, sed

rc:



re: Non est prouidentis dei, sed uolentis ac currentis hominis. Deinde non satis fuit disputare de prouidentia dei, nisi diceret etiam de uoluntate, quod (ne multa dicam) ex facto tuo probari potest, qui non contentus prima questione explicata, de proxima quoque quaerendū putasti. AN. Cum penitus rationes tuas considero, uerissimam de Boëtio sententiam protulisti, à qua ne ipse quidē appellare deberet. LAV. Et quid causae fuisse putas, ut homo Christianus à Paulo discesserit, eiusq; nunquam meminert? cum in eadem materia, quam ille tractauerat, uersaretur, atq; adeò ut in toto opere de consolatione, nulla usq; de religione nostra, nulla de præceptis ad beatam uitam perducentibus, nulla de Christo mentio, ac penè significatio reperiat. AN. Opinor, quod uehementior admirator philosophiæ fuit. LAV. Optime opinaris, ac potius intelligis: nam ita existimo, nullum uehementiore philosophiæ admiratorē posse deo placere. Ideoq; Boëtius aquilonem pro austro sequens, classem oneratam uino non in portum patriæ inuexit: sed in barbaras oras, atque in peregrina littora impegit. AN. Probas mihi omnia, quæ dicis. LAV. Ad perorationem igitur ueniamus, aliquandoq; finem faciamus, cum tibi de præscientia, de uoluntate dei, de Boëtio querenti, ut reor, satisfecerim: hoc quod reliquum est, exhortandi, non docendi gratia dicam, licet ut es animo bene cōstituto, non desideres exhortationē. AN.

In Boëtii.



Age uero, nunquã exhortatio non opportuna, aut nõ  
 utilis fuit, quam libenter tũ à cæteris, tum ab amicissi-  
 mis ac gratissimis (qualem te semper putavi) accipe-  
 re soleo. LAV. Ego quidem non te solũ, sed cæteros,  
 qui hic & me in primis adhortabor. Dicebã aut̃ cau-  
 sam diuinæ uolūtatis, quod alterũ induraret, alterius  
 miseretur, nec hominibus nec angelis cognitã esse.  
 Quod ergo propter huius rei ignorationem, ut mul-  
 tarum quoq; aliarum, à charitate dei angeli non refri-  
 gescent, à ministerij ordine nõ reccdunt, beatitudinẽ  
 suam propterea imminui nõ putãt: nos ad hanc ipsam  
 causam à fide, à spe, à charitate decidemus? & quasi  
 ab imperatore desistemus? & si sapientibus uiris etiã  
 sine ratione propter autoritatem fidẽ habemus, Chri-  
 sti, qui est dei uirtus, & dei sapientia, non habebimus?  
 Qui ait se omnes saluos uelle, & mortem nolle pecca-  
 toris, sed magis ut conuertatur & uiuat. Et si bonis  
 hominibus pecuniam sine chirographo credimus: à  
 Christo, in quo dolus inuentus nõ est, chirographum  
 postulabimus? & si amicis uitam cõmittimus, Christo  
 cõmittere non audebimus qui pro nostra salute & ui-  
 tam carnis, & mortẽ crucis accepit? Nescimus huius  
 rei causam, quid refert? fide stamus, nõ probabilitate  
 rationũ. Scire hoc, multum ad corroborationẽ fidei  
 faceret? plus humilitas, ait Apostolus, non alta sapien-  
 tes, sed humilibus consentientes. Scientia diuinorum  
 utilis est? utilior charitas. Dicit enim idẽ Apostolus:  
 Scientia

Peroratio.

Credendũ  
deco.Ignorantia  
ad humili-  
tatẽ pdest.

Scientia



DE LIBERTATE ARBITRII. 31

Scientia inflat, charitas ædificat. & ne de scientia hu-  
manorum tãtum dici putes, ait: Et ne magnitudo re-  
uelationũ extollat me, datus est mihi stimulus carnis.  
Nolimus altum sapere, sed timeamus: ne simus philo-  
sophorum similes, qui dicentes se sapientes, stulti facti  
sunt: qui ne aliquid ignorare uiderentur, de omnibus  
disputabant, apponentes in cœlum os suum, atq; illud  
scandere, ne dicam rescindere uolentes quasi superbi  
ac temerarij gigantes, à potenti brachio dei in terrã  
præcipitati sunt, atq; in inferno, ut Typhæus in Sici-  
lia consepulti. Quorum in primis fuit Aristoteles, in  
quo deus optimus maximus superbiã ac temeritatem  
cum ipsius Aristotelis, tum cæterorum philosopho-  
rum patefecit, atq; adeò damnauit. Nam cum nõ pos-  
set Euripi naturam inuestigare, se in profundũ illius  
præcipitans demersus est, prius tamẽ testatus elogio.

Scientia in-  
flat.

Hoc est, quoniam Aristoteles non cepit Euripum,  
Euripus cepit Aristotelẽ. Quo quid superbius ac fu-  
riosius? aut quomodo potuit deus ingeniũ illius, cæte-  
rorumq; similium magis aperto iudicio cõdemnare,  
quã ut permitteret illũ ex scientiæ immoderata cus-  
piditate in rabiem uerti, & mortẽ ipsam sibi consci-  
scere, mortẽ inquam uel fœdiorẽ quã sceleratissimi  
Iudæ? Fugiamus igitur cupiditatem alta sapiendi hu-  
milibus potius consentientes. Christiani nanq; homi-  
nis nihil magis interest, quã sentire humiliter: hoc



enim modo magnificentius de deo sentimus, unde scriptum est: Superbis deus resistit, humilibus autem dat gratiam. Hanc ut adipisci possim, de ista quaestione, quod ad me attinet, amplius curiosus non ero, ne maiestatem dei uestigans, obscurer à lumine: quod item, ut spero, facies. Hæc habui pro exhortatione quæ dicerem, quod feci non tam ut te atque istos animarem, quàm ut meam animi persuasionem ostenderem. AN. Ista uero exhortatio & animum tuum optime persuasum ostendit, & nostros, ut pro alijs respondeam, uehementissime animauit. Cæterum hanc disputationem, quam inter nos habuimus, nonne mandabis literis, & in commentarium rediges? ut huius boni alios participes facias. LAV. Probe admones, faciamus huius rei cæteros iudices, si bona est, participes, & ante omnes ad Episcopum Illerdensem, disputationem hanc scriptam, & (ut ais) in commentarium redactam mittamus, cuius iudicio nullum noui quod antepone audeam: & quo uno probante, aliorum improbationem non reformidem. Plus enim huic ego, quàm Antimachus Platoni, aut M. Tullius Catoni, tribuo. AN. Nihil rectius dicere, aut facere potes, & hoc quaeso quamprimum efficias. LAV. Ita fiet.

## DIALOGI DE LIBERTATE

## ARBITRII, FINIS.

LAV.



# LAUREN

TII VALLAE PRO SE ET CON

tra calumniatores, ad Eugenium IIII.

Pont. Max. Apologia.



**E**RAT equius, summe pontifex, ac mihi quidē multo optatius, me uel in illo superiore iudicio, si iudicium dicendum est iudicium conspiratio, obiectis respondere, uel postea iudice te causam dicere, quā absentem scribere defensionem: quē etsi tua fide, quam dederas, tutū esse oportebat, tamen experta mihi inimicorum malignitas fecit, ut portu, in quo eram, nihil importunius esse censerem. Nunc autem postquā uitae, qua periclitabar, consului, pudori meo, quod secundum est, sed nō minoris faciendū, consulere debeo, ne criminibus à me non purgatis, plus liceat mendacio quā ueritati, calumniae quam innocentiae, inuidiae quā uirtuti: neue quod per iustissimum ac sapientissimū regem accusatores non obtinuerunt, id per te sanctissimū patrem, quod fit indignius, obtineant. Satis est quod semel incautū nouo scelere circumuenerunt, quod summū in discrimen adduxerunt, populo in me incitato atq; armato, quod extrema infamia cōspargere conati sunt. In quo persancte eos, perq; pie fecisse cōfitear, nisi scelerate, nisi nefarie, nisi impie fecerunt. Nam per immortalē

Inquisitorum hereticæ prauitatis uirulentia.



Forma iudicij cōtra heresim. deum, quando unquam fando est cognitū, ut qui iudicij cōtra heresim. ces fuerunt, ij dē accusatores fuerint: qui accusatores, ijdem testes: qui testes, ijdem inimici: qui me reuellere obiecta uolentem uetuerunt, qui orantem uel audire aspernati sunt, qui lamentantem terruerunt: si loqui perseuerassem, me nō modo sensisse hēreticē, sed esse pertinacem in hēresi continuō se pronunciaturos, ac per ipsum populū qui aderat, lapidaturos, quū etiam ius in me inquirendi non haberent. Quod genus hoc hominū, quæ ue hunc tam barbara morem permittit patria? hospitio phibemur harenæ. Licet enim mihi de immanitate hominum Virgilianis uersibus queri: Facta fuit per se dicendi potestas Miloni homicidæ, facta Verri sacrilego, facta Catilinæ parricidæ: Quū primū plures, dicentibus testibus, qui cedi nobilissimi hominis interfuissent, arguerent: alterum Sicilia tota, tertium pleriq; Romanorū. Orestes quoq; quum sua manu matrem necauisset, tamen in defensione non facti, sed iuris auditus est. Vnde nunc hæc nouitas, & perniciosum sanè humanis rebus exemplum introducitur, iudiciorū tollere alteram partē? hoc si permittitur, iudiciorum omnis ratio intercidit. Quid enim opus est iudicijs, ubi absolutio esse nō potest? carnifex potius adhibendus est quàm iudex. Proinde si fateri uolumus, carnifices in me illi, quantum in ipsis fuit, omnes extiterunt. Danda est, danda etiā manifesti criminis reis defendendi facultas, uel ob hoc ut grauiori poena



CALVMNIATORES APOLOGIA. 35

poena digni per ipsam obstinationē esse uideantur. At  
 ea quae mihi obiecta sunt, tantū abest ut manifesta cri-  
 mina putentur, ut etiam eximiam quandam uel prae-  
 stantis eruditionis, uel optime de Christiana religio-  
 ne sentientis, speciē prae se ferant. Quāquam ō bone  
 Iesu, uideor ne uobis errare? uos ipsos appello accusa-  
 tores, indicate errorē, docete culpam, & peccati mei  
 aperite rationem. Nam quū confessionem à me extor-  
 quetis, non sententiam mutare, cur enim mutem quū  
 meliorem non uideam? sed mendacium loqui cogitis,  
 & secus ac sentio dicere: quo quid aliud declaratis, ni-  
 si uos hominē perditum malle quàm seruatum? Et po-  
 stea clamant me relapsū esse, quū ita me in lubrico  
 posuerint, ut aut iacendum mihi semper, aut ad pri-  
 mum quenque gradum sit collabendum. Etenim scri-  
 psi de grāmatica, lingua Latina, logica, rhetorica, iu-  
 re ciuili, philosophia, alijsq; nōnullis, examinās pro-  
 xima secula, & uiuentiū plurimos. Isti quū neq; dispu-  
 tando uincere me possent, nec aduersus libros meos  
 scribere auderent, per causam earū rerū, quae ad reli-  
 gionē pertinere uidebantur, etiā illa quae ab religio-  
 ne longissime abhorrebāt, condemnarunt: ne quando  
 contra eos hiscere auderē, imò ne uerbū quidem ullū  
 facere. Nā quī fieri potest, ut de studijs aut taceā semp  
 aut aliter dicam q̄ sentio? Atq; ut uesania eorū cumu-  
 lus accederet, adaētus sum iusiurandū interponere,  
 quod illa ex animi mei sententia, qd' fieri non poterat,

Nolunt in-  
dicare erro-  
rem, neque  
docere cul-  
pam, inquit  
sitores.

O diram  
tyrannidē.





conficerer. Neq; hac de me poena contenti, exitiū me-  
 um, quod sibi futurum utiq; promiserant, auidi expe-  
 ctabant. Magnus est, summe pontifex, magnus inui-  
 diae stimulus, magna indignatio, superari cum à cete-  
 ris, tum uero à iunioribus: magnum odium in eos, qui  
 singulari peritia freti, traditis aperte simpliciterq;  
 præceptis bonis, imperitos necessario reprehendunt  
 ac damnant: & quemadmodum ad magnorum gene-  
 roso animo canum, aliarumue nobiliū ferarum tran-  
 situm, cæterorum undiq; plebeiorū canum progres-  
 sus atque adlatratus, ita in me inimici mei, & si ma-  
 gni potentesq; uiri sint, tamen uelut catuli in ursum  
 inuaserūt. Mihi crede pro tua fide, summe pontifex,  
 non amore religionis, cuius hostes sunt, non uirtu-  
 tis reuerentia, quam nunquam degustarunt, non de-  
 coris nomine, quem in alijs quoq; euerterunt, ad op-  
 primendum me incubuerunt, sed inuidia, sed dolore,  
 sed maliuolentia. Quid enim mihi tanquam male sen-  
 tienti de fide possint obijcere? quū ipse queam ex uite  
 mee actibus eam ostendere, illi nequeant ex sua: quo-  
 rum non uita modo turpissima est, uerum etiam fama,  
 ut taceam quosdam eorum cerebrosos esse, ac prorsus  
 insanos. Quæras fortasse, quænam me res ab impen-  
 denti iam infandæ mortis periculo subtraxerit? Non  
 mea fuga, non amicorum preces, non casus aliquis, sed  
 deo hanc mentē inspirante, rex optimus, qui ubi Iuda-  
 icum in me iudiciū resciiuit, adeo ægre tum iniuriana  
 meam,

Inuidia sti-  
 mulus, uin-  
 ci à iuniore

super miri  
 hocce cupi  
 impri mag  
 iudice

Zelus in-  
 quisitorū.

miri o  
 iudice

Per regem  
 defensus est



meam, tum crudelitatem illorū, tum pessimum exem-  
plum tulit, ut nunquam in omni uita, uir ingenio pla-  
cidissimo, uisus fuerit iratior. Mentior, nisi hæc per  
proceres domus regie domesticos, in tota ciuitate uul-  
gatum est: uocatosq; coniuuratos, nō modo ut iniquos  
iudices, sed etiam ut falsos accusatores & testes, uehe-  
menter increpuit. Non pudebit me referre in defensi-  
onem capitis & fame, quod de laude mea rex sapien-  
tissimus dixit. Nec est mendacijs locus, nō modo mul-  
tis alijs, qui audierūt, & ad me detulerūt testibus, sed  
ipsis quoq; inimicis non negaturis: quanquā quid mi-  
randū de hac laude? quū multo maiorē mihi tribue-  
rit ijs literis bulla aurea munitis, in quibus me tantus  
princeps omnibus penē scientijs atq; poëtica uel fecit  
insignem, uel esse testatus est. Quid igitur dixit? Vos  
uero pessimi mortalium, estis inuidia atq; odio, nō fi-  
dei contemplatione aggressi hominē, non modo mul-  
to synceriores uobis, uerum etiam doctiores, & do-  
ctiores uobis uniuersis, cum quo pugnare ueriti, insi-  
dias ei tetendistis. Nam si in questionibus, quas dispu-  
tandas proposuerat, male sentiebat, eum conuincere  
debuistis, non furtiuo iudicio circumuenire. Itaq; &  
iudicium uestrū damno, eo quidem magis, quod in eū,  
qui uobis è domo incerta est, inquirendi potestas non  
fuit, & ipsarum questionum me iudicē facio. Presto  
mihi sitis igitur ad tertium diem. Is autē tertius dies,  
beatissime pater, ut nullus esset, ab illis cause sue ite-

Testimoni-  
um regis p  
Laurentio.



Nocentem  
sine iudicio  
statui pe-  
tunt.

Prima quæ-  
stio.

Philoso-  
phie quæ-  
stio nihil  
ad Theolo-  
gum.

rum ut ante diffidentibus, cū precando, tū causando effectū est, semperq; postea ut à me uicti uulgo cōspecti sunt, & propè dixerim triumphati. Quod cū ita sit, quæ tandē peruersitas est, ne dicā rabies, tunc illorum quosdā abs te postulare, ut quæ nocentem probare, sapientissimo rege exercere iudiciū uolente, cōfisi non sunt, eū tu nocentem sine probationibus statuas? & cui sapientissimus princeps, uel dedit, uel superuacuum duxit absolutionem, ei tu clementissimus pater inaudito arroges pœnā? Hoc si tibi, ut est, indignū uideatur, illud profecto plusquā dignissimū postulatum est, ut mihi nec illorū iudicium, quod pharisaicū fuit, obsit, nec sapientissimi regis siue præiudiciū, siue iudiciū prosit, tuq; sanctissimus iudex hanc causam tanq̄ ab initio cognoscas. Omissa itaq; rei gestæ narratione, quā tibi ut in istis tot tantarumq; rerū occupationibus audire uacuum nō est, ab re ipsa incipiā, quæstionum ut quæq; posita est, ordinem sequens. PRIMVM, super opere de uero bono, quas dixerunt philosophi uirtutes, exceptis Epicureis, non fuisse propter se expetendas. Quid hoc quæso, sanctissime pater, ad hæresim facit? Nunquid sequi insequiue philosophos, hæreticum tegit aut reteggit? Quod si de philosophia certamē proposui, nōne præter legē certaminis est aggredi me Theologiæ armis, idq; à tergo, nō à fronte? Finge enim me hac opinione falli, nunquid de religione Christiana nō sentio, ut debco? quasi unus Epicurus



us Epicuri sententia sit dānata, aliorū mē probata? in quo planē indicāt isti calumniatores imperitiā suam, qui neq; sectam Epicuri, nec uoluptatis nomē quid significet intelligunt. Malus ne uir Epicurus fuit, gula uentriq; deditus? Imò uero quis eo parcior, quis cōtinentior, q̄s modestior? et quidē in nullo philosophorū omniū minus inuenio fuisse uitiorū: plurimiq; honesti uiri, cum Græcorū, tum Romanorum, Epicurei fuerunt. At laudauit ille uoluptatē, differo paulisper de uocabulo dicere, laudauit ille quidē uoluptatem, sed quam ab omnibus laudatam inuenerat: & ut taceam exteros infinitos, à Platone plurimis in libris, qui eā uoluptatē animi à corporis uoluptate secernit, quod uult etiam Epicurus, & quidem ut Lactantius ait, bonum ipsum in sola animi uoluptate constituens, sicut Aristippus magister eius in corporis. Ab Aristotele, qui, ne multis moror, inter alia, quæ ab eo de uoluptatis laude dicuntur, quodam loco ait dubitare se, nunquid felicitas propter uoluptatem, an uoluptas propter felicitatem expetenda sit. A Xenophonte imprimis eximio nostra sententia & philosopho & oratore, qui quū regem optimū in persona Cyri institutū ad uoluptatē ostendit omnia referri, & uirtutes non expeti, sed subijci, nō sua causa: quippe quū sit actio, non finis: labor, nō quies: iter, non sedes: sed uoluptatis. In quo ergo differt Epicurus à cæteris, dicat aliquis. Primū nō à cæteris ille, sed à paucissimis differt:

Epicurē  
laus.

Voluptas  
summū bonum.





deinde ab ijs qui partim dicunt non summum, partim  
 non solum, sed unum quoddam bonum esse uolupta-  
 tem, quam hic solum bonum constituit: cuius quidem  
 multae sunt species, tam animi, quam corporis: sed in  
 ijs expetendis tantum peccatur, si minores maioribus  
 praeponantur, ut si quis egrotans, praesentis suauita-  
 te potionis securam negligat incolumitatem: quales  
 illi fuerunt, quos Homerus apud Lothophagos subse-  
 disse inducit, nolentes in patriam reuerti illius gra-  
 minis gustata dulcedine, aut quos Circes poculo, aut  
 quos cantu Syrenum fuisse delinitos, quorum alteri in  
 belluas conuersi, alteri sunt in mare demersi: & alia  
 multa quae sapientissimus Poeta, & omni philosopho  
 maior, figuris obumbravit: longe remotus ab illa sen-  
 tentia, ut diceret uirtutem esse ad quem tendimus fi-  
 nem, sed cum alia, tum uero gloriam: quem imitatus,  
 eius, ut sic dicam, discipulus Virgilius, Latinorum poe-  
 tarum magister & princeps, inquit: Stat sua cuique  
 dies, breue & irreparabile tempus Omnibus est uita:  
 sed famam extendere factis, Hoc uirtutis opus. cum  
 Cicero, quo Latini penè consentiunt omnes. Cicero certe, qui  
 in philosophia Academicus erat, idem modo hanc,  
 modo illam opinionem asserens, dum extra mentio-  
 nem philosophiae loquitur, sic ait in oratione qua-  
 dam: Nullam enim uirtus aliam mercedem laborum  
 periculorumque desiderat, praeter hanc laudis & glo-  
 riae: qua quidem detracta, quid est quod in hoc tam  
 exiguo



exiguo uitæ curriculo, tam breui, tãtis nos in laboribus exerceamus? Aut ut altius uela tollam, & omnis medio in mari impleam sinus, dicam aliquid de Theologia. Nunquid nos ieiunia, nuditatem, contemptum, egestatem, uerbera, uulnera patimur? num pericula, & quod summũ putatur, mortem subimus, ipsarum duntaxat amore uirtutum? an ad finem uitæ æternæ, præponentes futura bona præsentibus, ut multo maiora atq; meliora, alioquin non relicturi hæc, nisi pro ipsis alia redderetur? Quod si dicant benefaciendum esse, etiã si nulla remuneratio præponatur, quia deus propter se amandus est, audio, licet de hoc etiam posterius: sed aliud est amare deum, aliud amare uirtutem, quæ laboriosa est, quos labores ferre propter amorem dei dicimur, non amare: & hæc tolerantia uirtus est, & benefacere suapte causa nequaquam expetendũ. Vnde Paulus, Si in hac uita, inquit, tantũ in Christo sperãtes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. Si uirtus per se expetenda est, cur miseros facit, nisi sequatur remuneratio? at sequitur utiq; Ergo remuneratio ipsa expetenda est, nõ uirtus, sed per uirtutem. Nec enim duo hæc bona sunt, sed unũ, quod nemo negat: tametsi uirtus bona dicitur non per se, sed propter finem, ad quem tendit: ut ægrotantibus amara potio, adustio, sectio, quæ propter finem uocari bona, nõ propter se, uel ex hoc palàm est, quod nemo nõ mallet dulcibus medicamentis, quàm his atrocibus,

Nec; theologi uirtutem propter se expetunt.

Paulus uirtutem propter remunerationem expetit.





molestisq; sanari. Et ipse benignius mecū ac melius  
 agi putarē, si ad eandem beatitudinē sine cruciatibus  
 quā per cruciatus uirtutum peruenirem, diceremq;  
 cum domino: Si fieri potest, transeat ab me calix iste.  
 At diceret, fieri non potest, iustitia dei recusante, fa-  
 teor. Sed o ridiculos homines, qui quum nolint esse  
 præmia sine tolerātia, uelint tolerantia esse sine præ-  
 mijs. Quid tergiuersamur, quod de Theologis Philo-  
 sophi effici-  
 mur Philo-  
 sophi.

Ex Theo-  
 logis effici-  
 mur Philo-  
 sophi.

Spes futu-  
 rorū habet  
 aliquid uo-  
 luptatis.

qui ad Cain inquit: Nonne si bene feceris, accipies: si  
 autem male, peccatum statim in foribus aderit? Et ad  
 Abraham: Noli timere Abraham, ego protector tuus,  
 & merces tua magna nimis. Dixitq; Abraham: Do-  
 mine deus quid dabis mihi? quod congruit cū Euange-  
 lio: Ecce reliquimus omnia, & sequuti sumus te, quid  
 erit nobis? deinde respōdit dominus quæ sit futura re-  
 muneratio, nequaquam significans amore uirtutū la-  
 borandū, aliter hos ita sciscitantes arguisset. Nonne  
 idem inquit: Memento fili quod accepisti bona in ui-  
 ta tua, & Lazarus similiter mala? nisi quod nonnihil  
 habet boni, hoc est uoluptatis, spes futurorū, uelut ob-  
 liqua illa radiorum super tecta tendentium in opaco  
 claritas, & quasi lucis nuncia. Nam ipsa uera lux est  
 præsens, ipsa uoluptas ac beatitudo, eoq; poëtae et alij  
 quidem uirtutum præmia apud campos Elysios de-  
 scribunt, nihil aliud profecto quā uoluptates: sic &  
 è contrario tormenta uitiorum, quæ sunt uoluptatis  
 bus



bus contraria, qualia nobis tū præmia, tum supplicia  
 sacre literæ per figuras ostendunt. Suspicio iandu-  
 dum reluctari aduersarios, et nūc propè reclamare,  
 quod gaudia illa æterna appellē uoluptates. Redden-  
 da est igitur, quā promisi, ratio nominis, aperiēdusq;  
 error eorum qui de græco uocabulo disputare audēt,  
 quum latinum ignorent. Quid dicitis? uoluptatem  
 in medio positam? ut alia infinita, delectationē, amo-  
 rem, uoluptatem, dolorem, gaudium, quo & bene &  
 male affecti esse possumus: an utique uitiosam? Si su-  
 periore sensu intelligatis, nullus est reprehensionis lo-  
 cus. Bonam enim sequendam dico uoluptatem, nō ma-  
 lam, hoc est ubique minori maiorem, ut posteriorem  
 mauultis interpretari: eo quod Epicurum, qui eam  
 tantopere laudat, repudiandū putatis, omnesq; unā,  
 qui illum tuētur, & præcipue si sint Christiani, apud  
 quos hoc nomen explosum damnatūq; est, ut ibi: Nec  
 ex uoluntate carnis, nec ex uoluntate uiri. Primū uo-  
 bis pro Epicuro, hoc est pro græco, deinde pro lati-  
 nis, postremo de Christiana consuetudine responde-  
 bo. Et quod ad Epicurum attinet, uide mini mihi ubi-  
 que uestri similes esse, quum illo tam magno errore  
 ducamini, existimantes aliud nomē apud Epicurum  
 uoluptatem, aliud apud Aristotelem esse letitiam,  
 sic nanq; uobis barbari transtulerunt. Quod si Ari-  
 stoteles non omnē letitiā damnat, non dico amplius,  
 causa uicta est: q̄ letitiā probat, is ne uoluptatē quidē

Voluptas  
 uocabulum  
 medium.

Diuisio,

Letitia &  
 uoluptas  
 idem sunt,



44 LAVRENT. VALLAE CONTRA

improbat: quoniam duo hæc unū sunt duntaxat, apud illum. Nam apud nos differunt ut genus & species. At dicitis: Apud latinum improbum uocabulum est. Improbior qui mentitur, & falso accusat. Nam quis uos istud docuit? Ut omittam ceteros testes, Cicero nomen illud apud Aristotelem Platonemq; ac reliquos, semper transfert uoluptatem, & quid hoc atq; illud significet ut sciatis, ita definit: Nullum uerbum quod magis declarat ἡδονήν, quàm uoluptas. Huic uerbo omnes, qui ubiq; sunt, qui latine loqui sciunt, duas res subiiciunt, læticiam in animo commotione suauē, delectationem in corpore. An uero delectatio, quā gloriamur ob liberalitatem, ob misericordiam, ob opus aliquod egregie absolutū, ob fugam periculi, iacturæ, morbi, ceteraq; huiusmodi, uoluptas non erit? quæ duo nomina quid distet uix reperio: qui hoc negat, is profecto illiteratus est: sin ait, nimirum & uita æterna uoluptas erit. At non decet, inquiunt, istud nomen Fruitio. loquentes Christiane: quod magis decet, fruitio est, quod pro illo substituitis, quasi frui non minus accipi in turpem sensum & possit & soleat, & fruitio nō sit nomen insolens, & tanquā insuaue pomum, quod non modo nusquā in syluis eruditorum, sed ne in hortis quidem noui testamenti ueterisq; reperitur, quum reperiatur uoluptas, & quidem frequenter, Voluntas atque in amœnissimo inter arbores loco. Afferam te carnis. stimoniū nō falsum, ut uos facitis, qui ex uolūtate carnis

Voluptas  
quid.  
Cic. lib. 2.  
de finibus  
bonorum.

Voluntas  
carnis.

nis



nis dicitis pro uoluptate. In principio statim Genesios legimus: Plantauerat autem deus ab initio paradysum uoluptatis. qui locus postquam repetitus est, non multò post paradysus dei uocatur. Eamus nunc, & uoluptatis uel nomē uel dignitatem criminemur: cui unquam rei tantum dignitatis tantumq; honoris tributum est? profecto nulli, non scientiæ, non uirtuti, non potentiæ, non cæteris, quæ laudari & expeti solent: quid aliud censenda nisi beatitudo, quam qui insectantur, quid eis aliud præterquam ut illa nunquam potiantur, & suam portionē, si quam merentur, mihi relinquunt? Transeo quod Dauid inquit: Ex torrente uoluptatis tuæ potabis eos. & Ezechiel de paradiso loquens nominat poma uoluptatis. Cur ergo, dicat quispiam, ad laudandum eam tibi hic assumpsisti? quid credas aliud nisi quod fluens ac solutus sum, & mea omnis uita ac studium propensum est ad corporis uoluptates? hoc ne inimici quidē mei, quū me destructum cuperent (loquar necessitatis, nō iactantiæ gratia) dicere in me ausi sunt, quod feci ego potius in eos. Ego uero sanctissime pater, ut in opere ipso testatus sum, non laboro de nomine: appellet quisq; ut uolet, siue uoluptas, siue fruitio, siue delectatio, siue gaudium, siue felicitas ac beatitudo, dum res ipsa manifesta sit, appareatq; id quod probare statueram, nullam esse ueram uirtutem, nisi deo seruire: ne insultare nobis amatores gentiliū possint, qui uolunt in his homi-

Voluptas,  
beatitudo.

Tēperantia  
Laurentij.

Vera uirtus.



Virtutes,  
ancillæ uo-  
luptatis.

Prudētia  
nō distat à  
malitia.

nibus ueras fuisse uirtutes, qui nec acceptas uero deo  
referebant animas, nec ab eo præmia ulla suppliciaue  
credebāt, aut uiuis esse aut mortuis fore meritorium.  
Vbi sunt qui me sentire dicūt male de fide? qui assidue  
pro illa pugnaui, & hoc tempore, si uera loqui licet,  
pugno, ut ipsi criminatores mei dicendi sint fidei op-  
pugnatores, ego propugnator. Quo soluitur secunda  
questio, uirtutes ancillas esse uoluptatis, eamq; illa-  
rum reginam esse, & omnem uoluptatem bonam, &  
solum hominis bonum, sed à deo procedere. Quum  
enim uoluptas siue delectatio à rerū conditore creata  
sit, non est malum appellandum, ut dulcedo aquæ in fe-  
bri, sed mala electio atq; animi imbecillitas: adeoq; fal-  
sum est dulcedinem culpæ posse, modo minus offutu-  
ra fuerit, quàm si amara extitisset. Qualitate enim no-  
cuit, non sapore: quo sapore si quis se deceptum dicat,  
hic dum ebrius est, in excusationem culpæ, suauita-  
tem uini causetur. Sed hæc satis. SEQUITUR  
TERTIA, Prudentiam non distare à malitia, quia  
tantum est cognitio boni & mali. De hac sanctissime  
iudex paucis agendum est, utpote aperta. Si pruden-  
tia est cognitio boni & mali, quomodo contraria erit  
malitiæ, quæ in male agendo uersatur? erit actiua, nō  
contemplatiua, & ob id cōtraria iustitiæ, nihilq; dif-  
ferēs ab iniustitia. Si in male cogitādo, hoc est, in ma-  
le uolendo, in idem recidet. Iustitia enim atq; iniusti-  
cia ex animi inclinatione, nō ex corporis actione per-  
penditur.



penditur. Si in cognitione rerum malarum, quod est  
 cōtemplationis, quo pacto reprehendatur, quū haud  
 dubie malum non sit mala nosse, sed uelle? Quocirca  
 relinquitur malitiam aut inane nomē, aut idem quod  
 prudentiam uel iniusticiam esse. quod minus mirabi-  
 tur, qui cogitabit prudentiæ sine iusticia nō solere tri-  
 bui laudem: quoniam laus est in boni uoluntate, nō in  
 boni scientia, & in hominem optima scientem cadere  
 potest uoluntas pessimorum. Quod cum ita sit, quid  
 prudens à malitioso differat non intelligo. Ideoq; ut  
 aliquid de Theologia perstringam, dicitur, pruden-  
 tes sunt ut faciant mala, & filij seculi prudentiores  
 sunt filijs lucis, & uillicus iniquitatis sapienter fecisse  
 iudicatus est: & alia loca multa, ubi prudentia siue sa-  
 pientia, nam idem græce in ijs locis sunt, etiam malis  
 attribuitur. **QUARTA QVAESTIO** mihi bre-  
 uiter transigenda est. Nihil amari propter aliud, nec  
 etiā propter se. Qui à me dissentiuunt, non intelligunt  
 amorem finem esse, nō autem tendere ad finem. unde  
 trium sororum postrema est charitas, & inter ordi-  
 nes angelorum summus est Seraphin, hoc est plenu-  
 do amoris. Neq; enim, quod uulgo aiunt, amamus po-  
 tentes propter spem, quū spes, ut demonstraui, amore  
 sit prior, sed colimus, suspicimus, obseruamus, & hoc  
 frequenter non amantes. Si uero quempiam amamus,  
 efficiens causa, non finalis amorem peperit, quod is li-  
 berauit nos, quod auxit honoribus, quod opibus affe-

Prudens  
 potest esse  
 pessimus.



Cur ame-  
tur deus.

Charitas,  
uoluptas,  
uirtus, ue-  
rū bonum,  
idem.

cit, quod uidelicet amauit atq; amat. Item quod amat  
quis foeminam aliquam, ut Iacob Rachel, non id fit  
potiundi cupiditate, nam ea potius torquet, sed ex ijs  
quæ antecesserunt, quod uenustatem oris aspexit,  
quod suauitatem uocis sermonisq; audiuit, quod pro-  
bum ingeniiu modestosq; mores annotauit. Ita in deo  
amamus illud, quod omnipotēs, quod sapientissimus,  
quod optimus, quod creator nostri, quod redemptor,  
quod æternæ uitæ largitor. Atque ita sentio, colimus  
eū, adoramus, obseruamus, propter se quidē, ut per-  
fectissimum rerum omnium, & autorem nostri boni,  
quæ est efficiens causa: propter nos autē, ut perceptu-  
ros uitam æternam, quæ est causa finalis. Amare uero  
nec illum possemus, uel ob ulteriorem finem, quia ipse  
finis est, siue in ipso finis, uel ob seipsum, nisi ut effecto-  
rem, neq; nostram felicitatem, quia amatio ipsa est no-  
stra felicitas, donū spiritus sancti, & ut dixi, uita æter-  
na, quæ uocatur eadē delectatio, seu uoluptas, seu frui-  
tio. Nam nihil differre ab amore delectationem, tum  
ex ijs liquet, quæ disputatu facile quisq; qui ad iudiciū  
animi sui referet, intelliget, simulq; illā penē ultimam  
quæstionem ueram esse, charitatem, uoluptatem, uir-  
tutem, uerū bonum, idē esse, sed proprie uirtutes mo-  
lestas, charitatem uero iucundam. Quomodo autem  
charitas in aduersis fortunæ posita, sit uirtus quæ di-  
citur fortitudo, si locus hic magnopere desideraret,  
repperē ex ipso modo opere probationes: sed ocio-  
sum



sum fuerit, quando quidem nihil subest suspicionis hæreticæ. Ex ijs autē quæ sequuntur, dissimulari non potest, eos inuidia atq; odio mei ad accusandum descensisse, ut quem iusto bello superare non possent, ex insidijs caperent: imò adeò quem armatum armati totiens experti non expugnarint, ueneno tollendum curarent. An hæc ad hæresim pertinēt super repastinatione philosophiæ? Tria esse prædicamenta, nō decem, tria esse elementa, non quatuor: nam ignis nisi sidereus, supra nos nullus est. Tres sensus interiores esse, non quinque. Nulla esse pura elementa, nisi quæ cernimus tangimusq;. Non esse mare altius terra: unū esse transcendens, non sex, idq; esse res: album & albedo similiaq; non differre, frustra uocari concretū & abstractum. Menolle esse deum, qualē fecit Aristoteles, quem sic cœlo affixit ut Ixion est affixus in rota. Ex unde uiginti modis syllogismorū octo demū esse commodos, cæteros uero insanos. Quidam signum singulare, aliquis particulare, & illud cum negatione singulare, hoc uero uniuersale: subcōtraria male esse introducta: nihil in nominibus proprijs, & pronomi- nibus, non autem in aliquis & quidam, easq; nō posse simul esse ueras. Male dici propositiones modales, easq; sex, quū sint propè infinitæ: conclusionem uero syllogismi esse aut necessariam, aut possibilē siue credibilem: deniq; maximam partē logicæ latinæ falsam esse, ueramq; esse logicam Laurentianam: oratorem

Philosophi-  
ca Laurentij  
aduersus  
Aristotelē.

Vide quid  
sibi permit-  
tant inquisi-  
tores.



esse uirum sapientem, quantum in hominē cadit: hoc est, plus esse quàm philosophum & sophon. Super opere de elegantia: Catholiconem Huguitionemq; & similes, nullum uocabulum recte exposuisse, nisi quod aut expositum inuenerunt, aut de quo nemo dubitat, præterea barbariem loquendi docere, non linguam latinā. Priscianum quidē solem grammaticæ, sed aliquando passum esse eclipsim: qualia hæc sunt, hæc domus est mei. Quæ dicuntur inchoatiua, mediatiua, desideratiua, significare id quod nomina ipsa indicant: supinum in tu esse nomen: quæ falsa sunt, sed stultius dicere grāmaticos, uenio lectu, & huiusmodi infinita. Omnia quæ dixere grammatici post Priscianum, contra grammaticam esse, nisi paucissima ex sacris libris. Hæc ego beatissime pater pluribus defenderem, si defensionem requirerent. Venio igitur ad ea quæ restant super opere de libero arbitrio: Clarū esse præscientiam dei non obstare arbitrij libertati: & de hoc Boëtium male quæstionem mouisse, ac peius soluisse, & penè contra Paulum ac deum dixisse. Nunquid hoc dixisse hereticum est? quasi uero Boëtius is sit, quem nephas sit impugnare. Ego in libro illo Paulum sequi malim, qui ex ore dei loquebatur, q̄ Boëtiū, qui philosophiam Stoicam inducit loquentem, quasi nobis illa uerū bonū & ostendat, & præbeat. De hoc opere sanctissime pater, non plura dicā, nisi qd' multi etiā post accusationē, illud ut pijsimū opus inscripserunt.

Boëtius non  
saris sanctus.



rūt, ut sileam laudē, quam ei scriptis ad me literis doctissimi homines impartit: ne hoc nō testimonij loco referre uidear, sed gloria, iustū agere, & iuste agere, idem esse: quam loco suo cōprobo quantū inter eruditos intersit apparet. Sed quoniā hęc controuersia de recte loquendo est, non de recte uiuendo, ad quæstionem professionis transeamus: Falsō eos credere, magis se mereri propter professionem quā ceteros. Et quid summe pontifex, nōne id eos dicere, cum ceteris presbyteris pontificibusq; contumeliosos est esse, tum præcipue tibi? quasi præstantius sit probè obedire, nam in obediendo illi à reliquis sancte uiuentibus differunt, quā probè præsidere, & qui tales instituere conuentus, minus ipsi quā fratres monachiq; meruerunt: quum ij obtemperent, illi præceperint, ut hoc tempore, qui in locum illorum successerunt, omnes obedientiæ immunes. Atque inquit: quemadmodum plus admittimus culpæ, quoties promissa rescindimus, quā qui alligati non sunt: sic plus meriti penes nos sit necesse est, si non rescindamus. Multa à me in hanc rem, ut moris scribentium est, disputata sunt, uno tamen hic argumento contentus sum. Professionem suam sacramentum appellant. Sacramentum quoque est matrimonium duorum hominum, quorū alter maritus sit, alter cœlebs: da ut uterque fornicetur, uter magis deliquerit? Nempe is qui uiolat sacramentum. Da ut ne, penes utrum laus ama

Ex profes-  
sione nihil  
plus meren-  
tur mona-  
chi.

Sententia  
Laurentij  
de professis



plior fuerit? certe penes cœlibem. Ita fortassis in profes-  
 sissis & non professis. Quo magis mihi libet arguere  
 eos, uideo ingratos qui mihi pro beneficio malam gra-  
 tiam reddiderunt, siquidem ipsi inter primos exhi-  
 buerunt negociũ. Memini nanq; in libro illo scripsis-  
 se me, uitam illorum nō cæteris meliorem quidē esse,  
 nisi forte quibusdam concedendũ est. Nōne benigni-  
 or in eos fui quàm debui? Etenim uia à Christo tradi-  
 ta nulla est tutior, sicut nec melior, in qua nulla pro-  
 fessio nobis iniungitur. At uita ipsorũ, inquit, ab illa  
 Christi non discrepat. Sanè uero, sed ne aliorũ quidē,  
 nec enim in solis cucullatis uita Christi custoditur. Et  
 uestri duces, atq; autores istius disciplinae, sapiēter illi  
 quidē existimarunt, tutius esse uti baculo, sed lapsan-  
 tibus, & medicina, sed ægrotantibus, & ad tutelam  
 confœdere castrorum, sed in aciem prodire metuenti-  
 bus. Quod si in itinere faciendo non labor, quid opus  
 est baculo? quem ferre & quo uti molestum est. Si re-  
 cte ualeo, quid opus est medicina? qua nō modo pala-  
 tum, stomachus, sed etiam sanitas læditur? Si strenuus  
 sum, cur non in aciem prodeò, potius quàm in castra  
 desideo? Referam sanctissime pater, quod per eosdem  
 dies hic contigit, ut liqueat professos nec prærogati-  
 ua, nec tutiore genere uitæ cæteris utiq; omnibus an-  
 tecellere. Fuerunt in eadem domo duo, mihi sanè fami-  
 liares, eodem morbo laborantes: quorũ alter quum  
 secandus esset medici præcepto, & ipsius uoluntate,  
 à quatuor

Monacho-  
 rũ uita tu-  
 tior, sed nō  
 melior.



à quatuor socijs comprehensus est, ne inter curationē forte resliret: hunc uix quatuor illi quum secaretur, retinere potuerunt repugnantē reclamantemq;: Alter uero exprobrata prioris ignauia, nec teneri uoluit, & citra motum gemitumq; pertulit curationem. uterq; eorum sanatus est, unus amborum effectus fructus finis. Quod si prior magis laudari se postulet, quod retineri uoluerit, non audiatur. Si autem fecisse tutius dicat, fortassis audiatur, sed non protinus ut magis laudandum sit. Nam ut eius consiliū fuerit prudentius, fortitudo certe extitit in altero maior: quanq̄ quomodo minus consilij in hoc fuit, qui sibi tutissimus erat, qui roboris sui sibi cōscijs, uirtuti quā necessitati salutem suam debere malebat. Quapropter quando professi contenti non sunt debita laude, non etiam aliquantulum plus debita, nam eis plus impartierā laudis quā iure poteram, sic accipiant.

Si mihi offeratur electio utras malim actiones, professi an non professi, quæ modo eadem sunt, quoad posse sunt eadem esse, me nō professi electurum. Quæ si uera sunt, illud quoq; sua sponte probatum iam est, non proprio nomine eos appellandos esse religiosos, tanquam alij religiosi non sint. An uere tu summe pontifex, tu religionis caput, religiosus nō es? an potius & tu imprimis & cæteri religiosi sunt, à quibus pie uiuitur, ut legitur in epistola Iacobi, non habitu eos, sed fide & opere discernente? Reliquum est, ut de ul-

Sententia  
de professis  
uerior.

Religiosus  
omnis Chri  
stianus.



tima quæstione dicatur, quæ tantas apud furiosos tra-  
 gœdias excitauit, abſtinebo ab eis nominandis, ut ne  
 quis mihi, & ſi succēſere uelit, nō tamen poſſit iras-  
 ci, niſi qui crimen, qđ in ſimulo, ad ſe pertinere fateatur.  
 Malo enim uitia notare quàm homines, & emendare  
 eos quàm infamare. Symbolū non factum eſſe ab apo-  
 ſtolis per particulas. Hoc ego nō propoſuiſſem bea-  
 tiſſime pater, nec cæteras quæſtiones, niſi quidam, ut  
 toti ciuitati notum eſt, me coëgiſſet, quem in cubicu-  
 lo ſuo ſine arbitris fuerā ſciſcitatus quis id traderet.  
 Siquidē hoc ille in prædicando, ut eſt promptiſſimus  
 lingua uernacula, conuocatis pueris & ſucclamanti-  
 bus quotidie decantabat, cū riſu cæterorū. Is quia ſa-  
 tiſſacere mihi nō poſſet percunctāti, negantiq; apud  
 doctos inueniri, iratus pximis diebus tres quatuorue  
 prædicationes in me totas euomuit, ut erat furens in  
 concionando, & alternis brachijs uerberans, atque  
 ita ſemper elatrans, ut nonnunquam in clamitando  
 rauceſceret. At quàm improbum fuit, hoc ab illo ſci-  
 ſcitari, quod & ab alijs poſtea, & nunc ab omnibus  
 ſciſcitor: nec modo id quod in quæſtione propoſui, ue-  
 rum etiam quis omnino tradat ab Apoſtolis ſymbo-  
 lum conditum. Quod ſi quis me doceat, permagnas  
 ei, ut in cæteris quoq; gratias agam & habebo: quan-  
 do conditum, ubi, & à quibus memoriæ traditum.  
 Aiunt, à quibusdam, ut aperte loquar, minutis ple-  
 beisq; ſcriptoribus, qui nullius ueterum autoritate  
 nituntur.

Symbolum  
 non eſt ab  
 Apoſtolis  
 per articu-  
 los factū.

Inſanus cō-  
 cionator.

An apoſto-  
 li ſymbolū  
 omnino cō-  
 diderint.



nituntur, præter Gratianum, qui nititur Hisidoro. Quæro te, aitne per particulas conditum? minime: iam liberatus sum. Ita mihi gratulor, quod praua agnoscitur in me disceptatio prædicantis. Quid porò ait Gratianus, ab Apostolisne conditum? itane? Ac præceptor eius Hisidorus non ait, ergo scriptura Gratiani corrupta est. Hic me illi uociferantur hæreticum esse, qui decreta damnem, qui dicta patrum infringam, qui ius pontificium omne conuellam. Et ego uicissim ipsorum, & meo iure, siue insaniam siue impatientiam imitabor, uociferaborq;: Si ob id hæreticus sum, quod hoc falsò dixi, & uos hæretici eritis, si idem falsò negastis: nisi in me forte de ea re falsò sentire, hæreticum erit, in uobis hæreticum non erit: quid si uobis sumitis, quid si de Iudæorum numero estis, qui hæretici esse non possunt? Ego uero clementissime pater dico, non posse aliter legi apud Gratianum quàm apud Hisidorum, ne alterum illorum mendacem faciamus, & præsertim fontem, qui si corruptus est, riuus certe sanus non erit. Apud Hisidorum igitur legimus: In concilio Niceno, post apostolos secundo, hoc est, quod fuit secundum ab illo uero apostolico concilio, in quo Petrus & Iacobus decreti formulã acceperunt, trecenti decem & octo patres Symbolum tradiderunt, cui nonnihil additum est in concilio Constantinopolitano. Apud Gratianũ scriptũ est: In concilio Niceno post apostolos secundũ symbolũ tradiderunt.

Gratiani  
decreta no-  
lunt negari



Vter ergo sanctissime iudex corrumpit patrum dicta? Laurentius, an Laurentij accusator? ab utra parte stat ueritas? ab utra hæresis? si hæresim hic locus habet. Hic nõ plura disputabo. Ostendite autoritatem, uel Hilarij, qui circa illa tēpora fuit, uel Ambrosij, uel Hieronymi, uel Augustini, uel Gregorij, & uiceritis. An minus, ego meos testes citabo, quorum magna copia. Sed non est illis opus, quia de scriptura corrupta nunc loquimur. An hoc dicere hæreticum sit? At inquit: non est disputandum, propter quod piæ aures offendi possint. Itane? Non ergo iuste me accusastis, nõ uera cõtra me protulistis. Sed nihil aliud, nisi ne piæ aures offenderentur: à uobisne? à quibus per aures omniũ hæc fabula dissipata est: an à me, qui hominem in cubiculo percunctatus sum, non debent piæ aures offendi? Cur ergo me non admonebatis, quod Christus iubet? cur confestim ad sanguinem proximi decurristis? Nempe, quia odio, non beneuolentia affecti eratis. Non debent piæ aures offendi, & quæ tandem sunt quæso piæ aures? an hæ quæ uerũ audire nesciunt? quæ doceri recusant? quæ ad ueram gloriã aliorum uerberantur? hæ sunt uestre illæ, si fateri uolumus, piæ aures: hoc est, quæ iudaicæ ueritatem audire non sustinent. Nam per deum & hominem Iesum, qui idem ueritas est, quomodo rerum natura fiet, ut patefacta ueritas cum alijs uirtutibus inimica sit, tum uero pietati in deum? Multa mihi ad inuehendum in truculentissimos

*Piæ aures.*



culentissimos Calumniatores, quum suppeditet oratio iustissime iudex, tamen defensione mei causam terminabo. Itaq; ut ad curriculi perueniam metam, nihil equidem censeo peccatum à me, post accusationem illam, in qua nihil me loqui, nihil rationis ab illis audire fas fuit. Si quid autē in ijs quæ disputavi, erratū est, non modo non respuā à te sapientissimo atq; optimo medico curationem, sed patienter etiā libenterq; admittam ulcera mea rescindentē, adeò sine tua medicina sospes esse nequco. Si enim à me peccatū est, ulcera rescindes; sin ab alijs, ulcera sanabis. Nam illa quæ de spiritu sancto obiecerūt, respondi mentiri eos, qui me affirmasse aliquid contra ecclesiam criminarentur, sed aliqua uel ante concilium Florentinū, uel ipsius cōcilij tempore, ut armatior pro latinis essem, differuisse confessus sum. Neq; de hac re post accusationem illā, uel ipsi inimici mei dixerūt me quippiā protulisse. Audio præterea illos, quid enim non audeant homines & mali & inimici? audio inquā illos, quum superioribus diebus me apud te accusauerunt, crimini etiam dedisse, quod aduersus tuam dignitatē ad Basiliense Concilium scripsissem, quod illinc beneficia impetrassem: quæ pater beatissime, quia non in causam fidei ueniunt, da mihi quæso hanc ueniā ut in alteram orationē reseruentur: uel ob hoc, ne qui iudex in causa aliena es, tu iudicareris esse iudex in tua. In illa dabitur mihi latissimus campus de innocētia mea,

Submittit  
se pontifici  
Romano.

De spiritu  
sancto nihil  
in ecclesiā  
dixit.



de inimicorum meorum forte perfidia, quorum per  
 multi & tui fuerunt, de tuis laudibus. Hac enim ratio  
 ne, si tuas laudes, non dicam exequar, sed attingam,  
 uidebor contumeliam facere cause meae. Volo nanq;  
 nō modo ab adulandi suspitione abesse, sed omnino à  
 deprecandi. Nisi hoc unum, ut si nihil peccaui, in pri-  
 stinum statum me famamq; restituas, id quod optimus  
 rex fecit pro sua felicitate: si peccaui, primum erro-  
 rem edoceas, deinde quae tua clementia est, mitiorem  
 quàm pro culpa exigas poenam, quū praesertim satis  
 iam dederim, abunde q; poenarum. Pro qua tua mise-  
 ricordia, polliceor tuam sanctitatem ex me aliquid,  
 non dico utilitatis, nam id supra uires est, nō glo-  
 ria, nā tua gloria nec augeri laudibus, nec mi-  
 nui detractionibus potest, sed uoluptatis  
 ob mea studia capturam.

APOLOGIAE CONTRA CALV-  
 MNIA TORES FINIS.

LAVRENT.



# LAUREN

TIVS VALLA CLARISSIMO

& eloquentissimo uiro, Candido Decem-  
bri, S. D.



NONNE indignum est Candide, & egre nobis ferendū, quod tot ineruditissimi libri, & ineptissime scripti, non modo non iniiciuntur flammis, in publico positus, more maiorum, sed & multos ita amatores laudatoresq; habēt, ut magnis eos autoribus, non dico cōparare, sed præferre non erubescant? idq; ferē in omnibus liberalibus artibus & disciplinis, sed de cæteris quidē aliās. Nūc autem de scriptoribus in iure civili tecum loqui parumper institui. Quem mihi in hac causa deligendū ideo putavi, quod, dicā quod sentio, neminē scio, uel in iudicando magis religiosum, uel in doctrina magis aut, uberē, aut expositum. Horū quos dico Iurisperitorum, nemo ferē est, qui non contemnendus planē ac ridiculus uideatur: ea est ineruditio in illis omniū doctrinarū, quæ sunt libero homine dignæ, et præsertim eloquentiæ, cui omnes Iurisconsulti diligentissime studuerunt, & sine qua ipsorum libri intelligi non possunt: ea hebetudo ingenij, ea mentis leuitas, atq; stultitia, ut ipsius iuris civilis doleam uicem, quod penē interpretibus caret, aut quod his, quos nūc habet, po-

Contra  
Bartoli li-  
bellum, de  
Insignijs et  
armis.

Ineruditio  
Iurisperito-  
rum.



Bestie le-  
ctores.

In Iustinia  
num.

In locū cy-  
gnorū suc-  
cesserūt an-  
seres Bar-  
tolus, Bal-  
dus, &c.  
Anseres Iu-  
reconsulti.

tius nō caret. Satius est non scribere, quàm bestias ha-  
bere lectores: qui, quod tu sapiēter excogitasti, aut nō  
intelligent, bestiae enim sunt, aut insipiēter alijs expo-  
nant. Quare nō possum me cōtinere, quin male pre-  
cer illi qui in culpa est. Dij itaq; tibi male faciant Iu-  
stiane iniustissime, qui potētia Romani imperij in Ro-  
manorum perniciem, bonorumq; & clarorū ciuium  
abusus es. Nam quid te uel iniustius, si per inuidiam  
ornatissimos illos Iurisconsultos abolendos curasti,  
cupiens ut Constantinopolim, quò nostri imperij do-  
micilium cōmigrauerat, ne librorū quidem copia &  
scriptorum autoritate uinceremus: uel imprudētius,  
si posteriora secula à commentarijs temperatura spe-  
rauisti? Itaq; uide quid feceris, & ubicunq; es, fateare  
te male incōsiderateq; fecisse: nisi forte gaudes nostro  
malo, in locum Sulpitij, Sceuelae, Pauli, Vlpiani, alio-  
rumq;, ut leuiter loquar, cygnorum, quos tua aquila  
sæuissime interemit, successerunt anseres, Bartolus,  
Baldus, Accursius, Linus, ceteriq; id genus hominū,  
qui non Romana lingua loquantur, sed barbara: non  
urbanam quandam morum ciuilitatem, sed agrestem  
rusticanamq; immanitatem præ se ferant: deniq; non  
olores, sed anseres: Nō qui palatiū Capitoliumq;, ut  
antiquitus fiebat, à nocturnis furibus custodirent, sed  
qui in uijs ac plateis ad uniuscuiusq; prætereūtis aspe-  
ctum obstrepant, ac uociferentur, & totas ciuitates  
atq; uillas inquietent: existimantes se, ô nephas, uocē  
cantumq;



tantumq; habere cygnorū. Quàm acerbū quæso est,  
 nobis præsertim, qui cygneam uocem nō ignoramus,  
 his passim raucorum anserū clamoribus obsurdesce-  
 re. Quis crederet? Anseres etiā mordere audent, colo-  
 loq; porrecto, & nescio quid cornicanti uoce cōmi-  
 nantes, crura transeuntiū ferituri insequuntur. Non  
 igitur hæ stolidæ aues repercutiendæ sunt? nō manu,  
 sed pede. Item ut deinceps ad ostendendos homines  
 prodire non audeant, uellē etiam ut ad tacendū quoq;  
 compelli possent: hoc est, ut occiderētur, quæ suauius  
 comeduntur quàm audiuntur. Verum hoc non possu-  
 mus, sunt qui prohibeāt: id certe quod possumus facia-  
 mus, ne nostra crura, oratorū dico, appetere amplius  
 tentēt. Nū te Laurenti, inquiet aliquis, aliquādo an-  
 seres momorderunt? ut ita in illas bestias irascere.  
 An uero bonus uir priuata solū causa, & non publi-  
 ca cōmouetur? alios offendunt, me quoq; offendunt:  
 omnibus enim ciuibus iniuriam facit qui ciuē aliquem  
 uiolat, & omnes boni iniuriam accipiunt quæ fit uni-  
 cuilibet bono. Ceterum si causa priuata magis quàm  
 publica uis me excitarit, accipe cur etiam mea causa  
 debeam cōmoueri. Hesternō die quidā inter Iurisper-  
 ritos magnus, si quid magnum potest esse in parua sci-  
 entia, nomen tacebo, ne mihi succenseat, nisi prius de  
 se uoluerit confiteri, audebat mihi Bartolū Ciceroni  
 in doctrina antepone: tum multa alia inconsiderate  
 dicens, tum illud furiose affirmans, nullū ex operibus

In publicū  
 peccant Iu-  
 recōsulti.



M. Tullij cum uel breuissimo Bartoli libello, qualis erat ille de insignijs & armis, comparandū. Ego qui nossem hominem non paruae alioquin existimationis, & autoritatis, quasi colapho percussus, incensus sum. Sed me repressi, iramq; cohibui, ut alio tēpore uehementius ulciscerer, & quale nō putarē uulnus infligerem, & ridens inquam: Ostende quaeso istum ipsum quem nominaſti libellū, ut adorabilē doctrinam possim perdiscere, aut quid sentiā respondere. Nam quaedam istius Bartoli uidi, sed nequaquā multa. Tū ille ubiuis hunc librū tanquam solē uidere poteris. Commodabis, inquam, tu, si quod exemplū apud te est. Nō est apud me, inquit ille, sed à Catone Satio, quem tu propter eloquentiam, & multarum rerum peritiam amas, & ego propter admirabilē & singularem Iuris ciuilis scientiam obseruo, commodato accipere soleo. Mirum profecto narras, inquam, quod iste Bartolinus sol, quē ubiq; uideri dicis, nisi rarò, domi tuæ non cernitur. Longiorem noctem in tua domo habes, quàm ij qui dicuntur, nescio in qua parte orbis terrarum, in unam noctem atq; in unum diem, totū annum habere diuisum. Ibo igitur ad Catonem, ubi solem istum dicis esse: sed tu commodius faceres, ac diceres uerius, si Catonem, non Bartolum, solem appellares, qui scientiā istam eloquentia quasi quibusdam radijs illustrat. Verum dic rogo iterum, quis titulus libri, ne forte errem, non planè intellexi. De insignijs, inquit, ille.

Bartolus  
de insignijs  
& armis.

Scōmā



ille, & armis. Noua & nō peruagata, inquam, debet esse materia, quæ nouum titulū habet. Et uere, inquit ille, noua materia est, & à Bartolo inuenta, & accuratissime tractata, sed non est obscurus & nouus titulus. Quid ni, inquā, ego qui non penitus abhorreo ab intelligentia uerborū, quid hoc est, de insignijs, nō intelligo, de armis intelligo. Atqui, inquit, si nosti quid significēt armæ, multo magis quid insignia. Hem quid ais, inquā, incertior sum quàm dudū. Quū uis declarare unum uerbum, nec ipsum declaras, & alterū obscuras. Arma & insignia quid sint scio, armæ & insignijs quid sint nescio. uere or ne me illudas, qui librū Sibyllinum, non Bartoli mihi obtuleris, quem ego à diota non queam intelligere. Nam si nec titulū quidem sine interprete facile intelligo, quid tandem in illis locis futurū putem, ubi se in altas quæstiones auctor profundasq; demersit? Qui de mensura cœli loquuntur, & de astrorum cursu scribunt, difficilimisq; atq; abditis rebus, tamen ita suos libros inscribunt, ut quænam materia tractetur, intelligatur. Itaq; magis me territat iste tuus de quo dicis libellus, quàm omnes de astrologia libri. Quod si ideo Bartolum Ciceroni anteponis, quod obscurius loquitur, mihi tecum pugna non est, & isti libro libenter etiam palmam tribuo. Nam quid magis Cicero laborauit, quàm ut ab alijs orationis obscuritate uinceretur, quàm ipse, quasi syrtim quandam charybdimq; uitabat? Dicit enim

*De inscriptione libri*

*Armæ & insignijs.*

*Orationis obscuritatem Cicero uitabat.*



Dicunt: Nō  
est nobis cu-  
ra de uer-  
bis, sed de  
sententijs.

quodam loco: Satius est mutum esse, quàm quod nemo  
intelligat, dicere. Tu tamen quid Bartolus loquitur,  
non ignoras: quod equidē admiror, quū tu non sis ita  
multū me literis doctior, nisi quod balbi balbos me-  
lius intelligunt. Iocaris, inquit ille, & me potius illu-  
dis. Non est nobis cura de uerbis, sed de sententijs: nō  
de frondibus arborū, sed de pomis & fructibus: quē  
admodum uobis oratoribus, qui uerba aucupamini,  
uim atq; utilitatem sententiarum omittitis, & semper  
in ridiculis & rebus inanibus occupati estis: ut nunc  
tu facis, qui quū nō ignores quid significant insignia,  
tamen à me quæris: & quū nihil habeas quod oppo-  
nas solidū & uirile, ad ineptias te conuertis, quasi ni-  
hil sit tibi aliud quod agas: mihi necesse est maioribus  
uacare, quàm his inutilibus cōtentionibus. atq; abijt.  
Ego uero remanens, penē mutauī propositum, dubi-  
tauiq; an librum petendum putarem. Qualem enim  
sperarem illum fore in medio mari gubernatorem,  
qui statim dum portum aggreditur impingit? & qui  
in primis uerbis nescit quid loquatur, quid tandem in  
cursu & calore dicendi eum putes esse facturū? Itaq;  
pudendum mihi esse arbitrabar, si contra barbarum  
de literis, contra imperitū de sapientia, contra iacen-  
tem & inermē stans armatusq; pugnare. Sed ne bar-  
bary, imperiti, nudi, inermesq; nos laceffere uidean-  
tur, & quod grauius est, fugare, et ne mihi ille Iurisper-  
ritus impune insultauerit, postremo ne anseres se olo-  
res



res sibi esse persuadeant, legendum mihi Bartolinum  
librum putavi, & errores quos multos esse non dubi-  
tabam, nō clamore, sed stilo, qui perpetuò durare, &  
per orbem terrarum uolitare potest, demonstrandos.

Ne autem multis Candide morer, & ad rem ueniam:

Vespero ad Catonem misi, qui mihi Bartolianum libel-

lum cōmodaret, quem licet perpusillū, uix potui per-

legere. In quo, dij immortales, q̄ omnia sine grauitate

quā omnia sine pondere, q̄ omnia fatue, asinū loqui

non hominē putes. Itaq; tantum abest, ut de Bartolo

egregie sentiā, et Ciceroni comparē, ut iurare ausim,

Tironē M. Tullij libertū, si Bartolum seruū habuis-

set, nunquam dignum libertate duxisse. Atq; ut eius

imperitiam stultitiāq; ostendere incipiam, primum

libet cum breuiter summamq; reprehendere. Nam

præter illud quod in cōmuni quadam intelligētia est

situm, & leges meminerunt, quod signa non fiant ad

aliorum iniuriam, cætera omnia in libello illo super-

uacua sunt, & odiose ac peruerse diligentie plenissi-

ma: qualia ferè sunt omnia nostrorū Iurisperitorum

uolumina, non à uiris, ita enim grandia sunt & uasta,

sed ab asinis portanda. Dicamus igitur de his rebus,

quæ proprie insignia uocari possunt. Quodcunq; ani-

mal, ait, designatur in uexillis, facies eius debet inspi-

cere hastam, cū de natura faciei sit antecedere. Nun-

quam in quempiam sic cadere uidi illud Terentianū:

Faciunt nē intelligēdo ut nihil intelligant: id est, quū

Stilus Bar  
toli.

Odiosam,  
& peruer-  
sam diligen-  
tiam habēt  
Iurisperiti.  
Bartolus:  
Facies de-  
bet inspicere  
hastam.



plus sapere uideri uolūt, minus sapere uidentur. Hoc loco abs te Bartole quaero, utrū ne uis ab altera parte figuras pingi, an ab utraq; non enim te planè intelligo. Credo respondebis, ab altera: ita enim uerba tua interpretor. Hoc q̄ indecens sit, postea uidero: nunc utrā partē pingi mauis? dextrā inquis: probè tu quidem, sed quæ nam sit dextra ignoras, & pro ea sumis sinistra: nam eam partē quæ uergit ad leuā illius qui signa fert, pro dextra accipis, licet omnia obscuritate sermonis inuoluas: quasi nō illi qui ad eā partē sunt, in sinistro cornu esse dicātur: & ita illa pars signorū, quæ ad illud cornu respicit, sinistra debeat dici. Sed hoc non dandū est uitio, quippe qui non de lateribus, sed de fronte signorum loquitur. Esto, demus ueniam, & hominem qui pro alijs dormientibus se excubitorum profitetur, stertentem, nō increpatione, sed submissa & molli uoce excitemus. Ad hastam, inquit, facies rerum conuertantur, ut quò hasta fertur, eòdem illæ meare uideantur. Itāne ais Bartole? hæc potissima ratio? hoc naturale putas? hasta præcedat. Dic quaeso, an signa hastæ, an signis hasta subseruit? hæc illius, an illa horum causa reperta est? Nauigasti unquam, aut nauigantes è litore uidisti? eorū signa præcedunt hastam, an sequuntur? imò uero præcedunt, & quò uela aut nauis uehitur, ipsa quoque diriguntur. Ergo ad legem tuam, si ideo aspectus ad hastam respicere debent, quia illa, ut ais, præcedit, non debent

bunt



bunt respicere, ubi, uelut in mari fit, illa non præcesse-  
 rit. An tibi parum uidetur, quod in uniuerso mari lex  
 tua uel damnanda est, uel repudianda? an plura uexil-  
 la feruntur in terra quàm in mari? tacebo de cæteris  
 aquis. Age porrò in terra quid dignius ac præstan-  
 tius, quàm signa pontificum nostrorum ac sacerdotum, Signa sacer-  
 hoc est, dei contra diabolum? Nõne ita geruntur il-  
 la, ut hasta non modo non præcedat, sed etiam lateat?  
 Hæc tamen non cogitasti Bartole, sed solum ad signa dotum.  
 militaria respexisti, quasi unquã castra uideris. Quid  
 quod in illis hasta sæpius ferri solet, & mea sententia  
 decentius, paululum inclinata in anteriore partem,  
 multoq; melius quàm in posteriorem, atq; ita penden-  
 tibus uelis, siue ad palatia, siue ad templa suffigitur?  
 Itaq; tunc facies animalium ad hastam respicient qui-  
 dem, sed terga hostibus ostendent, contra legẽ tuam.  
 Quid quod principium ac fons signorum ab hasta in-  
 cipit, & quasi fluit in extrema? cur non igitur anima-  
 lia quæ pinguntur, ab hasta descendere debent, & in  
 extrema procedere? præsertim ne in hastam ferantur,  
 quò ire non possunt, spacio deficiente. Quid quod si-  
 gna siue stant, siue eunt, nunquã, ut tu uis, retrorsum,  
 nisi uento mota, ferri & expandi queunt? Quasi naues  
 onerariæ sint, quæ sine uento ire nõ possunt. Atqui,  
 sicut modo dicebã, paululũ in anteriora inclinentur,  
 ope uentorũ nõ indigent. Quid quod absurdũ est opti-  
 ma geri signa aduerso uento retrorsum uolitãtia? quo



modo pessime imus in pugnam. Nō enim adeo sol aduersus, quā uentus timeri uitariq; solet: nam sol quidem nobis duntaxat nocet, uentus autē etiam hostes adiuuat. Quid quod dū retro signa uento in morem uelorum impelluntur, in contrarium ab hasta feruntur? Ex quo fit, ut animalia picta, non quò hasta ducitur, utiq; pergere debeant, sed quò signa ipsa, quibus animalia continētur, uento pansa portantur. Omnia

Nihil ne- hęc eò spectant, ut appareat nihil necesse esse anima-  
cesse est ani lia ad hastam quasi ad anteriorem partem respicere.  
malia ad Nunc illud addimus, etiam si hasta præcedat, indeco-  
hastam re- ros nonnunquam esse gestus, qui ad illam dirigantur.  
spicere. Nam quid ais Bartole? attolle paulisper oculos, & ui-

gila: consuluit te tuus rex Boëmiæ, & Cæsar. Legitur paulo ante apud Virgilium, quod in regis Turni clypeo erat, Cælata fundens amnē pater Inacus urna. uult hanc ipse effigiem Inaci, non in clypeo, non enim clypeo utitur, sed in uexillo gerere. Doce tu & tantus Iurisconsultus & consiliarius Cæsaris, quonam modo illa pingenda sit. Cui uix attollens tu lumina Bartole, dices: Ius ciuile, ô Cæsar, & Geometria, & Arithemica, et Philosophia iubet, ut omnes gestus ad hastam dirigantur, nec fas est hanc legem præuari cari. Collocabis igitur deū in una atq; pendentem parte uexilli, & quasi supinum, qui uersus hastam, id est in altum aquas inclinata urna effundat. Nōne si hęc rex audiat, tibi dicat: Dormis Bartole? an parum es sobrius?



sobrius? Cur ita potius, quàm deū constituere in parte uexilli digniore & superiore, & in pronū ac procliuē aquas dimittentē, ut postea longo tractu flumē serpere, & labi in mare uideatur? Quid porro si solē gerere pro signo uelim, quo quidē usi sunt potentissimi reges? nōne à superiore faciam in inferiora radiantem, & quasi terras despicientem? Hic tu titubans, nutansq; , & quasi per somnū & crapulam loquens, dices: Quid necesse est, optime rex, externa exquirere? tua enim signa magnifica sunt, & nō mutanda. Habes Boēmiæ rex pro Inaco leonem, pro sole Caesar aquilam, quæ duo animalia debent eò esse conuersa, quò feruntur. Tū ille inquiet: In leone & aquila tantum tua lex locum habet. At ego non de his animalibus quæro. Sed quoniam de aquila fecisti mentionem, nam de leone dicam postea, uenit in mentē de meo populo Romano, à quo aquilā accepi. Is nunc gerit pro signo quatuor literas, S. P. Q. R. unde tu uis illas literas incipere? an ita ut tendant in hastam? Sed istud est hebraice scribere, non latine: eas nemo intelligat præter te, qui scis è contrario legere, aut præposterus erit ille ordo literarū, R. Q. P. S. Imò ab hasta, inquires, incipiendū est. At hoc contra legē tuam est. Non, inquires: nam literæ excipiuntur. Ideo cognosces te stulte dicere, quū ad exceptiones cōfugis: cur non etiam excipis solem? cur non Inacū? cur nō multa alia? quia, inquires, de animalibus loquor, ut de leo-

Ad exce-  
 ptionē con-  
 fugiēs, stul-  
 te dicit.



Leo, signū  
regis Boë-  
mie.

Aquila  
Cæsaris.

Facies ani-  
maliū pos-  
sunt ad la-  
tus respice-  
re.

ne & aquila. Cur ergo ab ista regula excipis literas? an literæ animalia sunt? Et quoniã tibi tantopere ani-  
malia placēt, ut deũ & solē præ leone & aquila fasti-  
dias, de ipsis duobus aliquid dicamus. Si leonē purpu-  
reis filis contextū, in pectore gestarem, insurgentē in  
anteriora, & quasi in hostes meos ex aduerso ueniē-  
tes erectū, & hoc nō improbares: cur improbares al-  
terū leonem à tergo in eodem habitu, nō in humeros  
meos conuersum, ne me laniare uideretur, sed ab ea  
parte auersum, in quã feretur? An quod in regia ueste  
nō dedecet, id in uexillo dedecebit? quanquã si recte  
existimemus, nō conuersus in hostē iste tuus leo mihi  
uidetur, sed quasi timeat sese sub trunco abscondere &  
occultare: ut aut nō cernatur ab hostibus, aut aliò ire  
quã ad hostes, non frontē, sed latus ostendens, penē  
fugere putetur. Nam aquilã ne ipsam quidē dixerit  
quisquã ad legem tuam esse formatam: siquidem præ-  
ter id quod & ipsa sub hasta latet, non in pectus fer-  
tur, sed in latus, quasi aues in transuersum queant uo-  
landi impetum sumere. Præterea quū mihi interdi-  
cis Bartole, ne facies animalium aspiciant in dextrum  
aut in sinistrum: quod mihi interdum magnificentius  
fieri uidetur, ut leo sedens, & in latus alterū faciē uer-  
tens, & illud: Tereti ceruice reflexam procubuisse lu-  
pum. Quæ si recūbit, quomodo potest uideri ire, quū  
quiescat? tamen facies eius conuertatur illuc quò fer-  
tur. At ipsa multò melius cōuersa est ad pueros, quos  
mulcetur



mulcetur alternos. Pectus, inquires, certe teneat ad anteriora conuersum: si nō attinet de uultu, minus pectore. Sed ita, ut dixi, inquires: melius est, in lupa hoc mihi exigis, quum Veneti, quem populū tu nosti quantus sit, auersa ora teneant, ab ea parte, in quam lembulis cimbulisq; uehuntur. Et Græci quidē in signaculis librorum, ut nuper uidere potuisti, quum legati Constantinopolitani ad me uenerunt. Hebræi autē in ductu literarum contra ac nostra consuetudo postulat, faciunt. Et omnia penē apud omnes gentes uaria sunt, quod dijudicare uelle, uide ne tam uere dicere quā immodeste facere uideare. Postremo, ut scias quid tue rationes ualeant, afferam exemplū, quod ubiq; plurimum facit. Romani olim Consules & Imperatores, ut ex simulacris marmorū insculptorum Romanas pugnas continentū licet uidere, nō ita ut nunc uolitantia, & quasi retro fugiētia signa, & aura semp uentilanda gestabant, sed patētia, & sese, ut aspici timeriq; possent, ostentantia, & uere infesta, & ad quancunq; partē uolumus cōuertenda, nec uento obnoxia: Qualia nūc in solēnitatibus nostri sacerdotes antiquū morem retinētes gerūt. Nunc aut, ut ad te reuertar Bartole, regēq; missum faciamus, ne nimis grauē personā introduxisse uideamur: responde mihi ad illud, quod me promiserā dicturū, Indecens esse & incōmodum, ut ab altera tantū parte pictura cernatur. Etenim cū uexilla signātur in mediū, ut ab his qui sunt dextra et

Patentia  
olim signa  
ut nunc sacerdotū.

Vtraq; parte pingenda signa.



laeva, agnosci, & milites longius progressi, ad Centu-  
 rionem suum reuerti possint, tu dimidiam exercitus  
 partem sua portione fraudabis, & alijs facies iniuri-  
 am, quā alijs non facias honorem aut utilitatem. At  
 unus leo, aut una aquila ab utraq; uexilli parte cerni  
 potest: hoc est, non ab uno, sed ab utroq; latere figuras  
 fieri debere. Sed o legum doctorem circumspectum  
 & consideratum, quid si literæ quædam sint, ut erat  
 apud ueteres frequentissimum, quis ex uniuerso lite-  
 ras leget? quid si in lanceo uexillo, quas ex altera par-  
 te cognoscere ne lincei quidem oculi sufficiant? Tu ta-  
 men hos meos laqueos effugies, & in me excandesces,  
 clamabisq;, non te dixisse ab una demum parte figu-  
 ras esse faciendas, quinimmo nō negare utrinq; etiam  
 fieri tantū uelle, ut aspectus animalium ad hastam ten-  
 dant. Quid respōdebo ad hæc tibi Bartole Mathema-  
 tiorum ritu loquenti, ut an affirmes an neges, intelli-  
 gere nesciamus, & omnia dixisse & nihil dixisse ui-  
 dearis? si cōsultō, & de industria, perplexe obscureq;  
 loqueris, ut Mathematici faciūt, odio dignus es: si per  
 imprudentiā & imperitiā, uenia danda est, modo li-  
 brū corrigas, nō sic legendū omnibus efferas. Demus  
 tamē puero ueniā, licet pertinaci. Vis igitur ab utro-  
 que latere esse figurata, dū aspectus, ut dixi, in hastā  
 tendat. In quo te satis abunde compressimus, dum de  
 uno latere pingendo disputauimus: hæc tamē in hunc  
 locū reseruata sunt, quæ te bis peccasse coarguant &  
 de utroq;

Mathema-  
 tiorū ritu  
 loquitur  
 Bartolus.



de utroque latere male sensisse. Fuit mihi auunculus  
 Melchior, uir cū in cæteris laudāndus, tū uero in hoc  
 quod quū aliquot annis iuri ciuili studuisset, ad artē  
 oratoriam postea totum se conuertit, secretariusq;  
 Martini quinti peste in uia correptus, nuper est mor-  
 tuus: qui mori minime debuit, iuuenis adhuc & uiri-  
 dis, & ornamentum ac delitæ curiæ Romanæ: cuius  
 de sepulchro ornando nunc consultamus, signaq; ad  
 leuandum luctum suorum, & ut moris est, supra se-  
 pulchrum tam clari uiri affigere destinauimus. Cōmo-  
 nefacias nos Bartole, quonam hæc figuranda sint. Est  
 autem manus dextra cum lacerto scribens, unde Scri-  
 bana progenies nūcupatur. Sed postulas utiq; ut aspe-  
 ctus scribentis in hastā dirigatur: uideo uel dextram  
 in altero latere mutandam esse in sinistram, cuius non  
 est naturale scribere, uel exteriorē manus partē pro  
 interiori ostendā. Tu, credo, quæ tua est æquitas atq;  
 prudentia, suadebis utcunque se res habet, ad hastam  
 actum manus esse dirigendū: nisi forte mutandā esse  
 rationem putas, quod signa magis ad terram respice-  
 re debent, ubi quis sepultus est, quàm ad hastam, quæ  
 sursum respicere uidetur, sicut ais faciendū esse in tu-  
 ba. Quanquam etiam hoc modo in eadē controuersia  
 sumus, quū necesse etiam sit dextrū signum à sinistro  
 discrepare, quod tu non debere fieri penè mordicus  
 tueris, & reluctaris, & ut aiunt, de genu pugnas.  
 Quid si addere uelim huic signo anulum in pollice?

Auunculus  
 Laurentij.



*iure enim meo hoc possum, an hic annulus cerni poterit, exteriore tantum manus parte apparente? Minime, ergo idcirco geritur annulus, ut non cernatur. Hæc nunc Scribana manus, quã pervertere uolebas, te prosternit, hæc te confodit, hæc ipsum illum quem tenet calamum ac pennam transversam ducit in tuo libello, & omnes tuas ineptias delet. Idem dici potest de dextera gladium tenente, qua quidam utuntur, & huic addamus etiam annulos. Idem si eadem manus saluatoris nostri in habitu benedictionis cruci affixa cernatur. Idem si pelicanus sedem cordis rostro reserans pingeretur. Idem in plurimis alijs. Adeò frequentius latus à latere differt, præsertim ubi pinguntur animalia. de quibus solis Bartolum fecisse mentionem summopere demiror, & de alijs cõmunibus quæ multa proposuerat, non dixisse: ut de ense nudato, de eodem in uagina recondito, de flore, de annulo, de eo quem dixi flumine, quæ omnia omisisse, & magnæ se cordiæ est ac supinitatis utiq; quum te promiseris dicturum, quæ & suam certam rationem postulant, nec in præscripto Bartoli ac formula continentur. Sed satis contra signorum positionem diximus, in quibus quantopere Bartolus deliret atque desipiat, si modo unquã sapuit, accipite sequentia. Si leo est, inquit, pro signo, mordeat: si equus, currat: si taurus, cornu mineatur: nimirum si asinus est, se uoluet in puluere. Siquidem omnia ut naturalia sunt postulas: quod quum dicis,*

Bartoli  
 acumen.

Naturalia  
 uult signa  
 Bartolus.



cis, simul eos qui posthac signa facturi sunt, ad istam tuam legem uocas. Quis adeò sui negligens est, ut nò malit cum toto orbe peccare, quàm cum uno Bartolo bene sentire? Sin, ut magis sentis, signa quæ facta sunt, reprehendere ac reformare conaris, ô excordem hominem, & uesanum caput, ô cerebrum elleboro purgandum. Tûne alter Triptolemus pinguia frumenta hominibus attulisti, rudi prius glande uescentibus? tûne corrigere audes uetustissimorum regum signa, quæ ipsa uetustate quandam exhibent religionē? Increpa stultitiæ tuum Boëmiæ regem, qui leonem gerit rubeum bicaudem, duobus pedibus stantem. Id esse stultissimum fateare, qui te non naturali signo ab illo donatum esse gloriaris, illudq; contra legem tuã portas. Argue regem Gallorum, qui lilia: regem Angliæ, qui pardos aureos habet. Reprehende ducem Mediolani, cuius uidemus tot in locis anguem, non more draconis cristatum, sed coronatum, non uentre, sed extrema cauda, licet pharia non sit, incedentem, tametsi nec ipsius nec hominis quem deuorat, color sit proprius. nec est quod dicas illum non incedere, sed insurgere, & in ipso impetu hominem corripere. Ita opinor, ad cœlum ille Seraphin ferebatur, quem à pedibus potius quàm à capite exiliēs anguis arriperet. Hæc si corrigi possent, insolentissimū putarē si quis ipsa corrigere tentaret. Credo de finibus agitur, aut de rebus repetendis, aut de hæreditatibus, aut de homicidijs,

Auxesis.



ubi non liceat ad arbitrium suū hominibus aliquid li-  
 berius ac licentius facere. Mihi uero illa ipsa quæ ma-  
 A natura litate rece- gis à naturali recedunt, nescio quid uidentur præ se  
 dentia ha- ferre tum gratius tum significantius, quod maioribus  
 bent gratiã quoq; nostris uideo placuisse: ut centaurus, chimera,  
 multam. sphinx, minotaurus, & ille apud Plautum sol cū qua-  
 drigis oriens, & in priscis numismatibus atq; marmo-  
 ribus homines alati. Quod si placet omnia tam acri-  
 ter & censorie excutere, cur non usum loquendi re-  
 formas, uestes corrigis, literas mutas? quippe multa  
 reperies in illis, si curiosius rimeris, quæ in meliora  
 cōmutes. Non possum, inquires. quid? signa potes? Vi-  
 de si quilibet unus in omnibus terris tuæ isti legi ob-  
 temperauit, uicisti: quanquā dij boni quid non erit ad  
 legem Bartoli uitiosum? qui ait, caput arietis & tauri  
 semper in cœlū debere suspicere, quasi signa cœlestia,  
 quæ idem nomen habent: recogniturū leonem semper  
 rutilum, semper fremere, semper insurgere, scindere,  
 nec dat ci bestiam in quam poscit irasci, saltem in cœ-  
 lum aspicientem faceret, ut contra Nemeæum leonem  
 irasci putaremus: Equum semper currere, nec memi-  
 nit apponere sessorem, qui equū currere compellat:  
 pedem dextrū caballi præcedere, quasi bruta digni-  
 Gestū ora- tatem quandam habeāt in dextro pede, sicut homines  
 torū Bar- manu. Nonne hæc sunt plena ineptiarū, postremaq;  
 tolus requi- dementiæ? Et quū ipse in pronuncian- do gestū non ob-  
 rit in equis seruet, & utra prior manus mouenda sit nesciat, in-  
 equis



equis gestū exigit oratorū. Quid equos arguis asine?  
 An non asinorū uerba sunt, banderia quartaria, istæ  
 armæ Clodi, cropæ? cur etiam non addebas bastones,  
 quibus cropam tuam atq; adeò totū corpus ad necem  
 usq; cederemus? & postea Hebraicas literas discere  
 uoluisti, quasi latinas uel primis labris attigisses. En  
 ô tempora, ô mores, en qui nobis pro Seruio Sulpitio  
 substitutus est? Ille habebat mirabilem quandā & in-  
 credibilem & penè diuinam in legibus interpretan-  
 dis æquitatem, explicādi scientiam, hic incredibilem  
 iniquitatem & iniustitiam. Ille malebat controuersi-  
 as tollere quàm constituere, hic nodum in scirpo quæ-  
 rit. Ille quæ proficiscebantur à legibus & à iure ciui-  
 li, semper ad facilitatē æquitatemq; referebat: hic con-  
 trà, ad asperitatē omnia iniquitatemq; refert. Ille non  
 tam iuris consultus quàm iustitiæ fuit: hic nō iustitiæ,  
 sed iuris, hoc est, ut Bartolinis uocabulis utar, brodij  
 consultus est. Et quid, ô noster non Sulpiti, itāne sup-  
 pis te & brodio referisti, ut oculos præ sopore gra-  
 ues, attollere & aperire nō possis? nec uideas dextrū  
 semper pedem nō posse præcedere, quippe quū sepe  
 necesse sit, ut ab altero latere dexter præcedat, ab al-  
 tero sinister, ut in aquila tua, & leone. Intueamur  
 nunc rationes tuas de coloribus, in quibus quasi in tri-  
 arijs omnem spem profligatæ causæ reposuisti. Audi-  
 te Iurisconsultum mira quædam philosophantem, no-  
 uam quandam & inauditam affert disciplinam, quæ

Seruio Sul-  
 pitio Barto-  
 lus opponi-  
 tur.

Iuris, hoc  
 est brodij  
 consultus.

De colori-  
 bus.



uniuersum orbē reuocet ab errore: & si minus reuocare potest, iandiu propter consuetudinē induratum, certe cōmonefaciat, ita fuisse faciendū. Color aureus est, inquit, nobilissimus colorū, quod per eum figuratur lux. Si quis enim uellet figurare radios solis, quod est corpus maxime luminosum, non posset cōmodius facere quā per radios aureos, constat autē luce nihil esse nobilius. Animaduertite stuporem hominis, stoliditatemq; pecudis. Si aureum colorem accipit eum solum, qui ab auro figuratur, sol quidem nō est aureus. Si aureum pro fuluo, rutilo, croceo, quis unquam ita cecus atq; ebrius fuit, nisi similis ac par Bartolo, qui solem croceum dixerit? Sustolle paulisper oculos asine: solent enim aliquando asini, praesertim quū dentes nudant, ora attollere. Tu quoq; quū loqueris, faciem subleua, nec te nimia auri cupiditas cæcet, qd' in terra non in caelo inuenitur: & uide, an sol est aureus uel argenteus. Vnde inter lapillos candidos heliotropium à sole nomen accepit. Et nos candentes tedas, candentes rogos: & excādescere dicimus, si quis ira uult indignatione commotus est, & uelut inflāmatu: flamma enim, quæ nihil habet humoris & terrei, candida est, & soli cōparanda. Quid postea, quem proximo loco colorē ponit? quem putas eū qui non est, ut sit semper sibi ipsi similis, ut nō modo dicat quicquid in buccam uenit, sed tanquā studeat nihil dicere, quod aut uerū sit, aut rectū? Sapphireus, inquit, est proximus, quem ipse,

Aureus color.

Sapphireus color.



ipse, ut est barbarus, & quasi cum foeminis, & non cum uiris loquatur, azurum uocat: per hunc colore, ait, significatur aer. Nonne tibi hic aliquid dicere uidetur, qui ordinem sequitur elementorum? certe. Sed nescio quare lunam praetermisit, nisi quia tunc in caelo non erat aut eclipsi laborabat: quum solem primum feceris, lunam debueras facere secundam, quae & altior aere est, & magis suum quendam colorem habet quam aer: & quum illum dixeris aurum, hanc oportebat argenteam nominare, & proximam a sole facere, ut argentum secundum est ab auro: nisi forte lunam quoque auream putes aureo uino madidus & distentus, aut eam hinc odio habes, quia sis ipse lunaticus. Sin uolueris sororem fratri Phoben Phoebo proximam ponere, profecto res ipsa & ordo postulabat, post aurum sequens locus esset argento, qui est color candidus: eo quidem magis quod postea hunc ipsum colorem, nescio quomodo, siue primum siue secundum facis, quod uidelicet luci maxime propinquus sit: homo tibi ipsi contrarius, & ubique ueluti per somnum loquens. Sapphireum igitur secundo numeras loco, delectatus, ut dixi, ordine elementorum: a metallis enim, a lapidibus preciosis, ab herbis & floribus, non putasti tibi exempla sumenda: quae si propria magis & accommodata erant, tum humilia tibi & abiecta duxisti, tu qui ex sole tantum es factus & aere. Nam quum seriem elementorum prosequeris, de duobus dicis, de duobus alteris

Ludit in  
Bartolum.



Ordinē in- obmutescis, & nobis expectantibus tam altum uene-  
stitutū non randumq; processum, quodam modo illudis. Si pri-  
prosequi- mus color est igneus, sequēs aërius, tertius aquaticus  
tur Barto- erit, quartus terreus. Aut non adeunda tibi erat ista  
lus.

Bartole uia, aut prorsus obeunda. Pergamus ad cete-  
ra. Paulò post ait album esse nobilissimum colorum,  
nigrum abiectissimum, alios uero ita quenquam opti-  
mum, ut est albo coniunctissimus, rursus ita quenquā  
deterimum: ut est nigredini proximus. Horum quid  
primum reprehendam? an quod aurci coloris nō me-  
minit, quasi meam increpationem timuisset? an quod  
album omnibus prætulit? an quod nigro infimum lo-  
cum dedit? an, quod stultissimum est, quod de alijs co-  
loribus incertius loquutus est quàm Apollo consue-  
uit? ut nesciamus quod maxime explicari oportebat,  
præter album & nigrum, quorum alterum, ut dixi,  
optimum, alterum deterimum putat, nescio qua ra-  
tione, nisi oculos quoq; ut iudiciū deprauatos & cor-  
ruptos habebat. Quis enim unquā rosas deteriore  
colore existimauit, q̄ eos flores, qui uulgo albæ ro-  
sæ uocantur? quis Carbunculi colori, quis Smaragdi,  
Sapphiri, Topazij, multorumq; aliorū anteponat  
margaritas, Crystallū, & eū qui dicitur \* Aut cur  
serica fila murice tingerentur, lanæ candidæ rubri-  
carentur, nisi rubeus color albo putaretur esse uenu-  
stior? Nam si candor est simplicissimus & purissimus,  
non continuò est præstantissimus, Siquidem argento  
& simplici



Et simplici et puro et candido antecellit electrum,  
 quod compositum est, tum uenustate, tum dignitate. De  
 nigro autem quid dicam? quem cum albo comparatū  
 inuenio, nec minoris præstantiæ putatum. unde cor-  
 uus et cygnus propter hanc ipsam causam dicuntur  
 Apollini consecrati: et Horatius spectandum ait, qui  
 sit nigris oculis, nigroq; capillo. Tu uero Bartole ocu-  
 los tuos, qui, ut opinor, erāt simillimi asininis, pulchri-  
 ores putas nigris Horatij oculis? aut pilum asini, pilo  
 equi nigri: qualē ob decorem, præcipue Virgilius de-  
 scripsit, quem Thracius albis portat equus Bicolor  
 maculis. Et mea sententia Aethiopes Indis pulchrio-  
 res, eo ipso quod nigriores sunt. Quid ego autoritatē  
 hominū afferro, quos ille æthereus paruifacit? peccauit  
 ille rerū parens atq; opifex ne longius exempla repe-  
 tam, qui nigrū in medio oculi posuit, et in extremis  
 non rubeū aut crocēū aut sapphireū, sed albū colloca-  
 uit: et quod te palam coarguit, isti colori, quem tene-  
 bris, nō illi quem luci comparasti, totius corporis tri-  
 buit lumē, propter quod oculi, et proprie, et usitate  
 lumina appellantur. Et quid afferri ad hanc rem po-  
 test decentius ac ualidius, q̄ quod oculus, qui unus est  
 colorū arbiter, nō albi aut alterius, sed nigri coloris,  
 aut nigro proximi, de pupilla loquor, quæ plerunq;  
 nigra est, ab ipso deo rerum conditore formatus est?  
 Atque ut de alijs rebus loquar, quid enumerem, quod  
 in rerum natura reperiuntur nigri coloris, quæ sum-  
 mam tamen exhibent dignitatem? ut Virgilius, et ni-



græ uiolæ sunt, & uacinia nigra: Alba ligustra cadūt, uacinia nigra leguntur. Et in horto meo nascuntur uiolæ albae, quæ cum nigris minime sunt cōparandæ, & mora, si fabulis credimus, ex albis nigra fiunt, & meliora & pulchriora. Quod si rerū conditor nullā in operibus suis putauit colorū differentiā, quid nos homunculi faciemus? an uolemus plus deo sapere? aut cum imitari & sequi erubescemus? O bone & sancte Iesu, si non cogitauit de lapidibus & herbis, de floribus & multis alijs Bartolus quū de uestibus & operimentis hominum loqueretur, poterātne obliuisci de auīū, propè dixerim, uestibus, ut galli, pauonis, pici, picæ, phasiani, & aliorū compluriū? Et quo de ipsis hominū uestibus dicamus, ex quo stultitia Bartoli inscitiaq; tenetur, uestes Aaron, quibus nihil cogitari queat perfectius, an illum Bartolinum colorum ordinem obseruant? Transeo, quod cœlestis Hierusalem duodecim generibus lapidum constructa describitur. Quod si Bartolus legisset, profecto alio modo quàm est loquutus fuisset. Eamus nunc & hominem audiamus, à diuinis atq; humanis rebus dissentientem: & puellis Ticinensibus, uer enim aduentat, legem imponamus, ne ferta, nisi quomodo Bartolus præscribit, texere audeant, neq; ad suum cuiusq; iudicium atq; uoluntatem facere permittamus. Nam, ut inquit Satyricus, Velle suum cuiq; est, nec uoto uiuitur uno. ut in illo qui nobis hanc libertatem eripere tentat, non secus ac si in seruitutē nos uellet asserere, sit conflagrandum

• dum



dum. Sed de hoc etiam superius questi sumus. Nūc illud dixisse satis est, Stolidissimum esse aliquē de dignitate colorum legem introducere. Persequamur cetera. Transit Bartolus ad lacernas ac uestes militares, quas ipse superuestras appellat, ut hic quoq; est sui similimus semper iniustus, semper imprudens, semper ebrius. Modo respiciendum ait ad latus dextrum illius qui indutus est uestem coloribus distinctam, modo ad oculos intuentium. Si respici uis ad latus dextrum gerentis, illud autē cum de toto humero intelligitur, quo pacto poterimus etiam oculorum à tergo intuentis ordinem sequi? quum pars quæ à facie cernentibus erat dextra, eadē à tergo spectantibus fiat sinistra, & tamen dexter humerus nunquam sinisterq; mutetur. Sileo quod iniquum sit & indignum, ad hanc nos legem alligare, ut lacernam ferre nequeamus, in duas diuisam partes, sed in quaterna frustra cōcissam. Sed obtemperandum est Bartolo, & si non propter auctoritatem, quæ in eo nulla est, attamē propter rationes, quibus tam grauius arguteq; probat, ut nemo contra hiscere audeat, ac dicere alio modo esse faciendū. Recitat fabulā de Iudæo uicto, & quibus rationibus illum uicerit nos docet: profecto quibus putem Iudæū licet pertinacē, ut illud hominū genus est, acquieuisse, nec quid opponeret habuisse. Ratiocinatur Bartolus cum Iudæo non legum suarum præsijs, quæ aliquid pondus habuissent, sed meritorijs philosophiæ subsidijs, quasi Iudæi multum nostris philosophis tri-

Nō ponenda lex de dignitate colorum.

Cū Iudæo ex philosophia disputat.



buant, colorem in oculos agere, ipsos uero oculos pati. Nolo agere cū Bartolo iure summo, nolo diligentius inquirere, nolo disputare, quod etiā Lactantius oculos agere dicit, non pati. Esto, sicut ipse uult, colores agant in uisum. Quid tamen causae est, ut colores aut prius in unū oculū agant, postea in alterū potius quā in utrunq; simul, aut in sinistrū prius quā in dextrū? An herbae, flores, arbores, imò uero colores, ipsum habent dextrū & sinistrum latus: unde, ut ais, fiat principium motus? quasi sit in eis cor, epar, caeteraq; uitalia. Nihil interest colorum unde cernantur, quae ne corpora quidem sunt. An uero nō intelligis o caudex, o plumbee, & ut ait Cicero, ex luto & argilla ficte, non intelligis aliud esse, uidere literas, id est atramentū, aliud formā ipsam considerare literarū, quod legere dicitur. Quū literae in oculos agunt, color ipse atramenti agit: quū lego, intellectu nō oculis utor. Itaq; ipsas uel asini tui cernere possūt, quia uim uidendi habent: legere nō possunt, qd' ingenio carent. Quum ergo de ratione legendi loquimur, & de scribendi ordine, nihil interest qui in oculos nō in animū agunt, facere mentionē. Multi quoq; de nocte in obscuro scribunt, multi in ceris, quarum color niger est, ut ipse literae: multi etiā humore quodam utūtur, cuius color uel nullus est, uel nō existit, id est, nō agit in uisum. Ex quo constat in legendo oculos, id est, animū & intellectū agere, nō pati, posseq; nos ab utracunq; parte incipere lectionem pariter & scriptionē: quod

quum

Nihil interest colorum unde cernantur.



quā ita sit, à parte quidē dextrī oculi legere, dextrā  
autē manus scribere inchoemus. Neq; uero hoc dico,  
ut Bartolo detrahendi studio ducar & mentiar: quid  
enim negotij est, idiotā homuntionēq; reuincere? nisi  
his pręstigijs utar, & in Latinā linguā & Gręcam,  
quarum studiosus sum, uidear contumeliosus. Quini-  
mo ipse Bartolus, ut in cęteris iniustū & fatuum, ita  
hęc loco sceleratū se & impiū declarauit: qui cū ordi-  
nem literarū damnauerit, quo solo ipse dei filius non  
solum legendo, uerum etiā scribendo, & quidē digito  
suo usus est. Tales sunt nostrorū pleriq; Iuris perito-  
rum, de rebus & humanis & diuinis pessime meriti,  
sed hęc aliās. Nunc illud sciamus, totam illam Barto-  
li de dextro & sinistro ratiocinationē infirmā & de-  
bilem, imò mortuā esse. Id quod reliquū est, breuiter  
uideamus. Ait quod in posterioribus dignior color de-  
bet esse, in humero sinistro, quę est pars dextra, intu-  
entibus. Idem error, in eodē luto hęsit: sed uidete,  
quod nam argumentum ad subsidiū affert. Finge, in-  
quit, eundē hominē habere alterā retro faciē, procul-  
dubio illud latus quod antea erat sinistrū, ex parte po-  
steriori erit dextrū. Quis tā solers, quis tā acutus ut  
Bartolus? uult hominē habere uultū, qui nō sit in ho-  
mine: nō enim intelligit ut sit ī occipitio altera facies,  
ut Ianus fingitur, sed ita ut humeros suos, quasi alius  
quidā ex aduerso positus aspiciat: quod quemadmo-  
dū fieri possit, ipse qui ænigma excogitauit aperiat.  
Quod si uoluisset colorem uestiū ex oculis ferentium

Iuris periti

Alterā ha-  
bere faciem  
retro, id est  
ī occipitio,  
barbarum  
est.



uestes, potius quàm aliorũ intuentiũ considerari, illa  
 altera in occipitio facies aliquid probabile habuisset,  
 ut erat etiã faciendũ. Nam quid absurdius, q̄ uestimen  
 ta ita disponere, ut nō meis oculis, qui illa fero, serui  
 ant, sed alienis? Quod aut̄ de scutis & clypeis & ope  
 rimentis equorũ ait, eadē ratio est quæ superiorũ. Nā  
 siue figuræ quædã pingendæ, stultissimũ puto, ut quis  
 quã sua signa corrumpat: siue colores quidã uariandi  
 sunt, ut formulam Bartoli sibi custodiendã existimet.  
 Quid igitur si animalia quædã in ornatu equorũ fi  
 gurãda sunt, nōne quò equus fertur, ipsa ferri debēt?  
 uel te quoq; teste, hoc nego. Siquidem facis in fronte in  
 elunibus ex transuerso cernenda animalia posse figuro  
 rari. Atqui aliud est posse transuersum ferri, ut ego  
 dico, inquires, aliud retrorsum. Quid interest? utrũq;  
 contra naturã est, & nescio utro magis peccatur. Et  
 ego superius ostēdi, leonē in tergo regis intextũ non  
 indecenter retrorsum incedere, recte eundē in uexilo  
 in alterum latus ora uertere, lupam caput ab hasta  
 auersum tenere. Age uero, quid in arcibus triumph  
 libus, qui formã hemicycli habent, quid in clarorũ ui  
 rorũ feretris agendũ? in quibus multa figurantur, an  
 & hæc sub lege tua comprehenduntur? Nōne alio  
 quodã modo administranda sunt, ut nonnihil demus  
 rerũ dignitati, nōnihil tēpori, nonnihil uenustati hi  
 storie, quæ exprimitur, nōnihil uolūtati: quemadmo  
 dum in edificanda domo non una regula est unumq;  
 præscriptum, sed multa diuersitas, & multa iudicia,  
 alioquin



alioquin omnes domus essent formæ eiusdem. Itaq; faciamus ut uolumus, dū scite & prudenter fecisse uideamur: illud procul eximatur, signa nostra ne nimium quidē esse mutanda. Fateamurq; Bartolum de multis paucissima attigisse, et ea ipsa inepte insipienterq; tractasse, & in omnes homines, quos docendos, castigandosq; putauit, iniuriosum fuisse. Habes meā Candide lucubrationē: nam superiore nocte, quod ad te scripturus eram, cogitatione cōprehenderam, hoc uero stilo prosequuus sum quod cogitarā, sed iam penē defessus sum, et bona pars noctis effluxit. Habeamus quoq; rationē ualetudinis, præsertim ne unā totam noctem in expugnando tam fragili castello laborasse uideamur, cui possum mille alia obijcere, ubi male accipiat leges ignarus linguæ Latinæ, ubi leges interpretandi peruersitate corrumpat, ubi illas inscienter afferat: ut in hoc, quia in nō certis locus est cōiecturis, l. continuus. §. quum ita .ff. de uerbo. oblig. quasi in ratione pingendorū colorū locus sit coniecturis. Sed quid ago? iterū me ad Bartoli consutationē redeo? nec ad requiescendum dormiendumq; me confero? Vale igitur mi Candide, & dum ego ad lucem dormio, tu hanc nostram Epistolam lege. Iterū uale, & me ama, cras te uidebo. Vale.

F I N I S.

BASILEAE APVD AND. CRAT.  
Mense Maio, AN. M. D. XXVI.








m.c










95

X 220432


EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.

1449 22









b. Cl. 4008.

 **LAVREN**

TIVS VALLA DE LIBERO  
ARBITRIO.

*APOLOGIA eiusdē aduersus calumniatores, quan  
do super fide sua requisitus fuerat.*

*ITEM, contra Bartoli libellum, cui titulus, de In  
signijs & armis, Epistola.*

*Vbi acutissimi uiri iudicium acerrimū, & raram uas  
riamq; eruditionem probabit lector.*

BASILEAE, AN. M. D. XXVI.

